




BIBLIOTEKA

Zakł. Nar. im. Ossolińskich

XVI 3059







# P· CALLI=

MACHIE EXPERIENTIS

de bello Turcis inferendo, Oratio

grauiissima, ac iam tem-

poribus conue-

nientissi-

ma.



ITEM EIVSDEM HISTO-  
ria, de his quæ à Venetis tentata sunt, Persis  
ac Tartaris contra Turcos mouendis, non so-  
lum uerborum elegantia conscripta sin-  
gulari, uerum etiam multis graui-  
mis consultationibus ad id  
bellum conficiendum  
referta.

Haganoæ, ex officina Seckeriana. Anno

M. D. XXXIII.

Præclai: Marcin houghij

1,900

XVI Qu. 3059



# ILLVSTRISSIMI

MO PRINCIPI DO. RUPERTHO

Palatino Rheni, auriusq; Bauarie Duci, Coa  
miti in Veldenz, suo Clementissimo  
Domino, Nicolaus Gerbelus  
foelicitatem.



IN GENIO SANE MAGNO, magnaq; sapientia præditi fuere Philologi ueteres, qui Ianum, siue is Chaos, siue Deus aliquis extitit, bina facie finxere, a fronte altera, altera à tergo, ueluti eum qui temporum, occasiōnū, rerumq; præteritarū & futurarum exactissimam tenuerit cognitionem. Vix enim est alia potentior ad uitæ rationem obseruatio, quam præterita simul & futura in prōptu habere & nouisse, adeò ut rectissime scripscr̄it Poëta, eum ueresapere, qui ἀμαρτίων ὁδίων λέπει. Quid enim per Immortalem Deum præstabilius, quid utilius humanis ingenis indere natura potuit quam prospicientiam, qua quidem præsentia regere & moderari, futura uel præcauere discimus, uel deligere & appetere. Hac scientia imbūtos non inepte Græci, ut pleraq; omnia, πάλινστρας appellauere. Ea res siue consilium,

A ii

*Prospicientia*

Ragre fortissima infra ad Duxum binum quod rem illam legamus  
cavet gemit. at inde Dux rem nobis ignora cecidit

E P I S T O L A

sive prudentiam, sive ingenii soleritiam nominare uolueris,  
*iuua omnia prouocat*  
in rebus mortalium prope omnibus maxime pollet, uix tam  
alicubi magis, quam in re militari, negotiisq; bellicis.  
Incredibile enim dictu, in quam perniciem, in quod discri-  
men atque periculum, unius quandoq; hominis ignauia, in  
gentes exercitus, imo gentem totam coniecerit, quem sane  
errorem cunctantis animi ratio, sive consilium potuisset  
emendare. Xerxes ille Persarum Rex, potentia, opibus, ho-  
minum multitudine, armorumq; copia celebris, exercitu  
in Europam traiecturus, multa per imprudentiam, multa  
temere conatus est, quorum postea hominem sui amantem  
penitente potuit. Inter qua singulari animaduersione dig-  
num, quod locum inter Sestum & Madytū, urbes Hellestō-  
ticas, Abydo in Asia aduersum, inq; mare prominētiorem,  
magno labore ponte uinxit, quo facilior ei expeditiorq; ex  
Asia in Europam foret excursus. Pulchrum mehercle inue-  
tum, sed temerariū & imprudens. Nam haud multo postea  
tempestas pontem utring; laeratū disiecit. Et quamquam  
incredibili labore pontem instaurauerit, tamen cum maxi-  
me ponte opus esset, utpote rege uicto atque turpiter fugiente,  
rursum tempestas & imbræ naues nauibusq; impositas trabes  
dissipauerant, adeo ut uix pectoria nauis uaserit Rex, ne  
mini antea non formidandus. Quod si ante factum rem re-  
cta reputasset uia, intellexissetq; naturæ opus non passim,  
neq; semper hominum cedere cupiditati, & sumptum & mi-  
litiam reseruasset ad utiliora. Idem Xerxes (libenter enim  
hoc exemplum humanæ uidelicet stultitiae plenum usur-  
po) cum Atheniensibus, ob causas nescio quas, bellum illa-  
turus esset, priusq; tanti belli molem ad Asiam Principes, mi-  
nime tamen illis quæcunq; consuluisserent obsecuturus, de-  
tulisset, Artabanus regis patruus, uir cordatus & singula-  
ri præditus sapientia, percontanti Regi Darii exemplum ex-  
planauit,

## N V N C V P A T O R I A:

planauit, qui contra Scythes belli aleam tentarat quidem,  
 sed admodum inauspicato, sese uero contra uiros terra, ma-  
 riq; multo præstantiores Athenienses scilicet, copias eductu-  
 rum: non solum tam salubri consilio non gessit morem,  
 sed etiam præclarum cōsultorem cum turpissima apud Per-  
 fas contumelia ad mulieres remisit: cuius authoritatē & cō-  
 filio si rex superbissimus paruisseſſet, tam infami ad suos fuga  
 nunquam rediſſet. Multo prouidentius apes, admiratio-  
 ne præcipua dignæ, quæ cum multa habeant hominum cœ-  
 tibus persimilia, ut sunt urbes, Respub. mores, & reges, si  
 quando in pabula exeundum, deserendiſſet lares atq; liberi,  
 ante profecitionem exploratores suos emittunt, qui uentos,  
 imbris, uias, deniq; aditus omnes accuratissima obſerua-  
 tionē explorant. Quod si missi ſpeculatorē aduersi aliquid  
 renunciauerint, in urbibus cunctantur, consultant, prouい-  
 dentq; ne quod periculum aut exitium gens tota patiatur.  
 Tanta ne ſolertia, tantum prudentia tam puſillis animan-  
 tibus, & nos, quibus nihil eſt ſuperbiuſ, in tanto rerum ni-  
 bil proficiuſ uſe: Hæc atq; alia ſecum animo uolutans  
 Callimachu, re ipſa non nomine tantum Experiens, cum  
 ſua ætate crudeliffimus ille humani generis carnifex Tur-  
 ca Pannoniā, circaq; finitimas gentes bello attcrere aggre-  
 deretur, Christianos Principes hac Oratione instituere uo-  
 luit, quo conſilio, qua ſpe, quibus tandem præſidiis tam tru-  
 culento hosti ſit occurrentum, haud dubie id quod res eſt  
 cogitans, non eſſe ſapere, id quod ante pedes eſt uidere, ſed  
 etiam illa quæ futura ſunt ſolerter & circuſpeſte præcauere.  
 Hanc itaq; multa bona fruge refertam Orationē, Illuſtris.  
 Princeps, Magnificentia tuæ dicamus, ut per te, tuoq; auspi-  
 cio reliqui uideant, quid in tam periculosobello opus ſit fa-  
 ſto. Iam uero ſi ueteres ſcuta, thoraces, nauium roſtra, ar-  
 cus, ſagittas, aliaq; id genus fortitudinis instrumenta tem-

A iii

*Dixit ab  
Apib. ſeu  
Teſſe ſeu  
Imperator*
*Callimachus  
Experiens*
*Dedicatio  
apollinaris  
multo  
nihil applicata*

E P I S T . N V N C V P A T .

plis consecrauerunt, quid prohibet etiam T. M. ueluti ui-  
uo templo hoc opusculum, tanquam militare Enchiridion  
dedicare. Oblatus eram præstantiora, si tulisset hoc uel  
facultas mea, uel digniora T. M. potuissent offerri. Quid  
enim nobilius, quid præstantius literis, quæ solæ immorta-  
les sunt, & sublimi feriunt sydera uertice. Sis foelix Illustris-  
sime Princeps, & animi nostri erga T. M. prompti-  
tudinem, clementer ac placide suscipito.

Argentorati Octaua mensis

Martii. Anno  
M. D. XXXIII.



# P. CALLIMA=

CHI EXPERIENTIS VI-

ta ex libro lo. Trithemij de Scriptoribus

Ecclesiasticis.



HILIPPVS CALLIMACHVS,  
natione Italus, patria Florentinus,  
Regis Poloniæ Secretarius, unde  
cunq; doctiss. Philosophus clarus,  
Orator facundus, & Poëta insignis,  
ac diuinarum Scripturarum non  
ignarus, ingenio præstans, & dexterus  
Eloquio. Fertur multa præcla  
ra cudiſſe Opuscula, quibus memo

riā sui posteris reliquit. De quarū numero subiecta ferunt.

Opus insigne de gestis Attilæ Regis impii quod. 1. præ  
notauit Attilam. Lib. 1.

Historia Polonica contra Turcum. lib. 2.

De moribus Tartarorum. lib. 1.

Amorum diuerso metro. lib. 1.

Et alia complura. Vixit usq; hodie apud Regem Poloniæ  
maximo in precio, & uaria conscribit sub Maximiliano  
Romanorum Rege, Anno domini quo hæc scripsimus,  
M. CCCC. XC. Indictione duodecima.

## EX LIBRO SEPTIMO

R. Volaterrani.

V Ltra Vistulā Masouia ducatus Podolia regio & Dra  
uania fluuius, ab eis dictus, Masouiam & Lituania  
deducens ad Polonos pertinentes. Et Guesnensis & Posna  
nensis urbes in Sacro Codice conscriptæ. Ad hos Callima-

Du Podolem  
iak zall Murec  
siedni Polak  
i Marwem

VITĀ CALLIMĀCHI.

chus Geminianensis meus familiaris penetrauit, ubi & li-  
teris & ingenii solertia ex paupere diues magnopere factus,  
apud eos Reges, quibus erat dilectus, ante hos  
annos deceffit. Hæc Vola-  
terranus.



# AD INNOCEN

TIVM VIII. PONTIFICEM

MAX. GENVA ORTVM,

ORI VND VMQVE, DE

BELL OT VRCISIN,

FERENDO, P.

CALLIMA.

CHI EXPE.

RIEN-

TIS

ORATIO.



I AVT HVNC LO-  
cum amplissimū, quem  
Deus immortalis huma-  
no generi aditum ad bea-  
titudinem esse uoluit, ua-  
care oporteret: dum quā  
tum mortalis alicuius in-  
genium ostentare se pos-  
set, iactandis laudibus,  
quæ ex rebus terrenis & caducis magis appa-  
rent, q̄ uere sint: aut si uirtutis & meritorum  
tuorum testimonium aliud grauius, sanctius  
illustrius esse, uel posset, uel deberet, quam  
huius sacro sancti Cardinaliū Collegij, a quo  
inter tot probitatis, religionis, sanctimoniae,  
præclara lumina & ornamenta, tu potissimum  
electus, cui diuinorum omnium in terris ius

B

1 2  
ORATIO CALLI.

& arbitriū recte cōmitteretur , maxima mīhi suppe-  
ditaret copia efferendi ornandiç⁹ tui , omni eo gene-  
re laudū , quæ a summi homīs dignitate , summoc⁹  
humanæ fœlicitatis culmine proficiscūtur . Sed quo-  
niam importunum uidetur & abhorres huc , unde  
ad diuina & æterna iter Deus patefecit , mortaliū &  
mox periturorum afferre mentionem . Nec quicç⁹  
dici , excogitarue potest , quod ad merita tua effere-  
da , nō minus sit efficax , quam iudicium de te factū  
ab his diuinarum rerum arbitris & immortalis Dei  
Consiliarijs : non cōmittam ut oblitus appaream ,  
ubi & post qualem de te , & a quibus latam senten-  
tiam , uerba sunt mihi facienda , omissaç⁹ tota ea ora-  
tionis parte q̄ ab alijs adhiberi cōsueuit enumeran-  
dis extollēdīsc⁹ uirtutibus ac meritis eorum , quos  
(ut tu nuper ) ad summi Dei prope æquale fasti-  
gium ac maiestatem sublatos , ueneraturi aliquādo  
accessere , quantum uel ingenio , quod haud sane in  
me magnum esse constat , uel humanarum rerum  
experimento , a quo non mediocriter exercitus , con-  
sequi potero , ea tātūmodo explicare conabor , qui  
bus in uerum ad supernam ciuitatem iter , aut agē-  
do , aut reducendo populū Dei , uocatione hac tua ,  
Christianis rebus supra q̄ dici queat fœlici , multo  
fœlicior futura sit pontificatus administratio , cuius  
partes , admonitu saluatoris nostri , qui non solum  
uocandos conuiuas , sed etiam cōpellendos censuit ,  
ego quantum pertinet ad præsentem actionem ,  
duas

3

DE BELLO TUR.

duas omnino esse dixerim, alteram quę in persuadē  
do constituit, alterā in uirib⁹. Sed cū supra ordinē  
supraq⁹ authoritatē sit, differere de diuinis, id to-  
tum quod positum est in persuasiōe illis relinquō,  
quos a Deo in uniuersam terrā missos Spiritus pa-  
racletus sublimes agit, eorumq⁹ mentē simul & uer-  
ba æquat, ccelestib⁹ atcq⁹ immortalibus explican-  
dis. De reliqua autem parte, in qua uires defyderan-  
tur, nō ideo dicam, quia id commodissime a me sie-  
ri posse existimem, sed quia circum terras & maria  
omnia, diu multumq⁹ modo æqua, modo iniqua  
fortuna iactatus, si ea quę de facilitate rei Christianę  
in integrū restituēd̄, aut uidi, aut aliter quomodo  
cunq⁹ percepi, reticerem, uideri queam talentū mi-  
hi creditum ceu nequam seruus in terra occuluisse.  
Et tu, uel propter irritos conatus eorū, qui nō mul-  
to ante te sedere ad gubernacula nauigij, qđ in æter-  
næ beatitudinis portū fideles perlaturum scimus:  
uel propter implacabiles discordias, quibus Chri-  
stiani populi membra inter se tumultuant & pug-  
nant: uel propter suscep̄tam iampridem uulgo per-  
suasionem magnitudinis uirium aduersariorū, de-  
speratis bene gerendae rei facultatibus, possis fortas-  
se magnum licet & sublimem animū tuum submit-  
tere, & contentus ceu per manus traditarū tibi ouī-  
um numerum conseruasse, non tam contemnere qđ  
non audere, restituti atque aucti gregis decus tibi  
polliceri. Itaq⁹ planum siet a me prius, ordinem,

D i u i s i o n

B ij

4  
ORATIO CALI.

potius quam uires defuisse Pon. Max. si qui paulo  
ante amplitudinem ac maiestatem suam, religioni  
nostrae reddere instituerunt. Deinde dicetur, quid  
Christianorū principum concordia in utrancq; par-  
tem momenti afferre potuerit aut possit. Postremo  
ubi quanta sit aduersariorum potentia demonstra-  
uero, conficiendæ rei facultatem, simul & facilitatē  
explicabo. Quę dum singula discutio, non impro-  
be forsan sperauerim, me benigne audiendum, nō  
quia maxie speciosa possim dicere, sed quia Sāctiss.  
huius sedis maxime interest, mentes simul & cogita-  
tiones uestras, in ea de quibus dicturus sim intēdi,  
ut amplitudo ipsius & dignitas, si fieri possit, ad  
pristinum fastigium attollatur. Dicendum est autē  
in primis, de modo atq; ordine, quem pro oportu-  
nitate, uel inferēdi, uel propulsandi periculi, in acti-  
one de qua loquimur, parum hactenus seruatum  
esse proposui. Etsi intelligo quam audax & prope  
impudens promissu, & quam difficile factu sit, uel-  
le ostendere expediendis rationibus, quibus sacro-  
sancta & iuxta dei immortalis authoritatem amplis-  
sima Romanæ ecclesiæ Monarchia, in integrum re-  
stitueretur, consiliū defuisse Pōtificib; Maximis,  
de quorū uirtute ac sapientia, Deum simul atq; ho-  
mīnes cōsensisse apparet. Quandoquidem nec De-  
us uideri potest temere, ac si ne summæ uirtutis sin-  
gularisq; sapientię delectu permisisse, ut cuiuspiam  
arbitrio committeretur, salus populi a se tanti existi-  
mati,

mati, ut dum beatum illum efficeret a beatitudine  
sua sibi interim descendū putauerit. Nec credibile est homines de administratione, qua immortalitatis suae iura & mysteria continentur credidisse, nisi illis qui propter singularem diuinamque aliquam rerum omnium cognitionē ac prudentiam dignissimi essent, ut de summa humani generis felicitate ius & authoritas ab immortali Deo ad ipsos transferretur. Sed quis nō æquissimis auribus accipiat, si dixerim, sublatos eo magnitudinis, ut plus quam sibi ne diuine quidem aequitati in homines licere, intuerentur, dum terras mariaque & cuncta que in iis sunt contemplantur, & nihil seipsis aut maius, aut sanctius in omni humana natura conspicunt, abiectioneque velut obsequio carnis & societate, ut oculorum sic mentis aciem in Deum conuersati tenent, quo semper dignum aliquid tanto sibi munere commisso cogitarent ac facerent, custodiendis conservandisque religiōibus, obeundis tradendisque ceremonijs, quibus sacrificia & diuini cultus tū propitiatiōes, cœlo homibus patefaciendo, suū decus et pietatē retinerent, non acerrime cogitationes a magnificentia tantarum tamque sublimium rerum in humilia orā hæc, & pari ac cœlum et terram interuallo, inter se distantia, deflexisse. Quis enim cœlestia simul & terrena, non dicam curare, sed cogitatione atque animo, omnium capacissimo complecti queat, preter diuinam illam prouidentiam, quæ velut humanū corpus rationis ui-

B. ij



6  

## ORATIO CALLI.

gor ac nutus agitat, simul & gubernat, ita numine  
ac ui sua omnem pariter naturam moderatur ac tue-  
tur. Nequaquam tamen dixerim humanæ imbecil-  
itati condonandum, si quid aut cogitationibus suis  
inferius, aut a professione uelut abhorres, aut a qui-  
bus intendebant seiunctius, quam sub eundem men-  
tis intuitu uenire posset, uel pretermissum, uel non  
rectissime ex natura sua extimatum sit, a prioribus  
Pon. Max. siue inter expendēdam muneris sui ma-  
gnitudinē, siue inter statuendū, quantū cuiusq; me-  
ritis, uel iratus foret, uel ppitius Deus: siue deniq;  
excogitandum stabiendum ue leges & præcepta,  
quæ improbos castigarent, bonos tuerentur, ad-  
flictos releuarent, ad extremū omnes ad decus atq;  
honestatem hortarentur, a turpitudine autem &  
flagitio reuocarent. Quæ singula tanti sunt, ut mini-  
me mirandū queat uideri, uel unum aliquid eorū,  
omneis unius hominis cogitationes a cæteris qui-  
buscunq; in se auersas occupare potuisse. Nedum  
non æquissimo ferendum animo, tot simul tantisq;  
ac tam prope ad diuinæ prouidentiæ munus elatis  
curis humanū aliqd ingeniu nō suffecisse. Sed neq;  
phas est, neq; ego afferuerim, reliquæ mortalitatis  
cōmuni modo & mensura existimandos, ceremoni-  
arū antistites, sacrorū autores, religionū magistros  
emplorū deniq; oīm presides, accustodes. Fuit, su-  
it in illis ingeniu sapientia, uirtus, quib. crediti sibi  
muneris amplitudinē sustinerent. Quantūcunq; a  
summi

87

summi Dei prouidētia & numini absuere, tantū solertia, uim, atq; acumen humanae rationis antecessere. Atq; ideo nō sic agam, quasi parū puderint, sed tanq; nimis multa cōsideraserit. Nō quasi eorum cceptis inopia cōsilij, sed tanq; abūdantia cautōis obstiterit. Deniq; nō quasi aut negligētia, aut ignorance agendorū unum aliquid, cogitationes eorū fefellerit, sed tanq; studio & cura immodica, simul omnia moliendi, omnia prætermiserint. Videbant enim in ea se uersari deliberatione, quæ maiora & sanctiora multo cōpleteceret, q; sit hominū uel uita uel libertas. Quæ duo cū maxima sint & habeant, collata tamen ad religionem nihil in se magni habere liquet: uel quia non minus ferarū sunt quam hominis, uel quia in uniuersum pendent in fortuna. Religio autem in animis mortalium extra fortunæ arbitriū seposita, & propria est hominis, & uel sola illum distinguens a pecudibus, non modo cōiungit Deo, sed quadā etiā prope æqualitate beatitudinis, atq; immortalitatis, illi simillimum reddit. Itaq; cū ea foret in discrimen adducēda, nihil quod equidē ad tantæ rei incolumente facere uideretur satis, cum satis atq; prouisum arbitrabantur. Et dum reputant animo, ad hominum usum ceteras res omnes, quecūq; coelo, terra, mari continent, esse procreat, hoīes aut̄ formatos a Deo ppter se, ut foret qui eius magnitudinē agnosceret, bonitatē coleret, pruidentiā admiraret, nihil temere aut prepropere.

*Hoc a Dno recita  
est honestas ei⁹ uolens*

8  
**ORATIO CALLI.**

agendum intelligebat, propter quod aucthomines ab eternæ felicitatis itinere recto auerti possent, aut Deus cultu suo & uenerationi destitui. Sapienter il liquidem atq; ex gratitate, quæ ab ista sancta sede exigitur, qui nisi timide ac diffidenter in discrimen protrahendum putauere populum creatum, ut angelorum sedes possideat, numerum compleat, solitudinem frequentet, deniq; ut diuinæ beatitudinis particeps, gloriæ testis, æternitatis socius perseueret. Quis enim sciens, quo consilio Deus, humana ex seruitute populum suum eduxit, qua clementia seruavit in mari, nutriuit in deserto, qua sedulitate ad pietatem instituit atq; erudiuit, qua liberalitate ipsius labores compensauit, & tandem quo precio a squalore ac tenebris æternæ mortis redemit, non ligitet, non horreat, non contremiscat, cum sibi id discrimen sentiat adeundum, a quo tam diligens, et perpetua Dei cura, & tam propensa in populum suum charitas, in irritu conuerti queat? Licuerit itaq; illis in re tanta & tam anticipi per omnia discurrere, omnia implorare, omnia conari, in quibus aliquid momentum fore, ad id quod intendebant arbitrabantur. Et dum non quantum oportebat, sed quantum metuebant, moliuntur, in ipso conatu defecisse. Quod si non tam eius, de quo fuerat decertandum, quā certaminis magnitudinem expeditissent, facile id, quod te facturum arbitror, ab Europæ servicibus impiorum iugum excussissent. Nec enim aduer-

DE BELLO T V R.

aduersariorum uires, de quibus paulo post dicam, tales aut sunt, aut fuere aliquādo, ut totius rei Chri-  
stianæ opib. occurri eis oportuerit. Neq; adeo in  
animis fidelium refixit pietas & religio, q; pro rei be-  
ne gerēde oportunitate nō satis multi fuerint semp  
affuturi, si priores Pontifices Maximi, uires nō ad  
opinionem suam, sed ad belli necessitatē comparare  
instituissent. Sed dum plus quam satis sit, prospici-  
unt, metuunt,, cauent, dū consultant, & singula me-  
tiuntur, ac minora ducunt, quam ut substinerent  
eam belli molem, quam animis suis præfigurabāt,  
uel in ipso aggrediendæ rei aditu, uel in cogitatio-  
ne, prius quam, quo instituerant apparatu, se mo-  
uerent, defecere. Solus quod cum bona cæterorū  
uenia dixisse liceat, solus inquā Pius secundus, neq;  
plus quam oportebat metuit, neq; plus fueratausu-  
rus, si Deus immortalis, aut illius effetis iam uiri-  
bus non pepercisset, aut quam ille præzepturus erat  
palmam, tibi non reseruasset. Conatus tamē atq; in-  
stitutum suum omnium est laude ac fauore prose-  
quendum. Nihil enim in eo non mirabili quadam  
& singulari prudentia constitutum. Nihil non sum-  
mo ac propediuno ingenio administratum. Nihil  
deniq; non maximo ac præsentissimo animo susce-  
ptum. Fuit enim, quod om̄es scimus, in ipso acutē  
ingenij a natura singulare, quod postea egregia do-  
ctrina, & maximarū rerum in omni uita experimen-  
tum, eo magnitudinis propagauerat, ut om̄ia posset,

Commenda-  
to Pij Pape. *Silv*

C

## ORATIO CALLI.

Omnia auderet, omnia perficeret. Facile itaq; pr  
spexit ueram gerendæ rei rationem, & prospectam  
ita exequebatur, ut nō plures in bellum educeret,  
quam satis foret ad consequendam uictoriam. Cæ  
teri, ut qui non suas, non hostium uires, non cogen  
di, alendi, conseruandi exercitus facultates, nō loco  
rū interualla, nō terræ, non maris discrimina, sed id  
tantūmodo p quo metuebant cōsyderarēt, necq; or  
dinem, necq; modū cōsilijs suis expediēdis adhibere  
potuerūt. Atqui tota, non modo gerendi, ueruetiā  
cōficiendi belli, ratio, in eo cōsistit, ut nihil omnino  
supra, q; rerū, tempore, locorū, natura uel postulat,  
uel latura sit, moliamus. Quia cōsyderatiōe omissa,  
nihil, quod quidē efficax futurū sit in bellicis actio  
nibus, uel aggredi, uel tractari, uel deniq; expediri  
potest. At si necq; in timendo, necq; in moliendo mo  
dum excessissent, sed necq; in superuacua omnīū po  
tentiarū coitione, inanem operam impendissent, sa  
tis profecto fuit semper, & nunc est uirium, faculta  
tumq; ad eum hostem exterminandum, qui aliena  
magis opinione q; suis uiribus, tam diu, iam non so  
lum oppugnat impune, Ciuitatem Dei, sed in illius  
etiam parte maxima & florentissima, capta ab se &  
possessa, per calamitatem & dedecus religionis no  
stræ, immanissimam tyrannidem exerceat. Sed quo  
niam nihil æque illos abduxit, a uera uia expedien  
di quod intendebant, quam cogitatio et cura pacan  
di inter se Christianas opes; sequitur id, quod secū  
do loco

Conclusio  
primi diuisi  
onis mēbri.

11

## DE B E L L O T V R .

do loco me facturum proposui, ut de ea re quædā p  
tēporis & loci oportunitate explicētur. Non nega-  
uerim sane magnū ac prēcipuum quoddam funda-  
mentum, seu potius uim totam & rationem, nostre  
religionis conseruandę, in eo consistere, ut Christi  
anorum omnium Principum ac Regum consilia &  
facultates mutuo inter se quadam germana & uelut  
indissolubili charitate consentiāt; idqz esse ordinis,  
auctoritatis professionis tuę munus & proprium  
& legitimū. Sed ut nihil, aut firmius, aut efficacius  
ad eā rem dici excogitariue posset, ita nihil factu est  
difficilior. Quis enim ceu diuinus intellectus, qui  
quomodo tam dispares, atqz adeo inter se discor-  
dantes naturas consociaret, pariter & connecteret,  
adiuuenit; ut hanc quam intuemur, admiramurqz  
pulchritudinē ac soliditatem mundo cum creauit,  
attribueret. Ita uoluntates tam multorum Regum,  
Principum, nationum, gentium, ac populorum  
habitu, lingua, moribus, institutis non minus in-  
ter se q̄ locis distantium simul conciliauerit, ut idem  
omnes sentiant, cupiant, agant. Licet em̄ nihil sit  
de quo s̄aepe cogitare, diligentius agere, pertinati-  
us contendere, debeamus, quam de immortalita-  
tis nostrę ratiōe ac mysterio, et religiōis uis quedam  
et tacitus consensus Christianorum omniū mentes  
impleat, ac possideat, quasi diuinū numen per uni-  
uersam naturā insulam, exindeqz facilitas, simul &  
oportunitas appareat cōciliandi uolūtatiib. ad eam

Secundum  
Diuīstōis mē  
brum.

Oppositiō  
Intrauer  
in Vīnum

Quod con-  
cordia faci  
difficilis.

Tabula Belli  
Iaponi in Asia  
Deinceps  
Urbis

ORATIO CALTI.

rem paribus omniū viribus defendendam , de qua  
par sit apud omnes studium & cogitatio: tamen ne-  
scio, quod sine inuidia dictū uelim, quomodo plu-  
ra quotidie & sublimiora intelligentes, simul & tra-  
dentes de religione, ad eius tamē opera exequenda  
non adeo uidentur alacres & prompti, ac fuere ma-  
iores nostri, in prisco illo et rudi fidei consensu. Sed  
necq; ob id, quod propter eundem honorum ac ma-  
lorum finem, Christianis in uniuersum propositū,  
ex quo omnes periculū urgere apparet, credi opor-  
tet, facile omnes ad pariter resistendum accessuros .  
Nam utcunq; publice tantudem Christianorum  
omnium interesse uideat, religionem nostram sal-  
uam esse: quia tamen non eisdem humani ac diuini  
iuris vinculis inter se omnes continentur, multæq;  
multorum priuatæ rationes, aliæ alios in diuersum  
trahunt, non modo difficile, uerum etiam impossibi-  
le est, quod ad unam aliquam conseruandæ reli-  
gionis actionem, simul uniuersorum consilia & ui-  
res acclinentur & consentiant. Non enim ut in re-  
humana, ex magnitudine publica priuatim cuiq;  
splendor, opes, authoritas, accumulatur: ita & in di-  
uinis decus, magnitudo, dignitas, singulorum, ex  
publica religiōis amplitudine, consistit. Sed quisq;  
priuatim sibi formatur, sibi crescit, sibi decus parit  
& dignitatem. Nec a religiōis illustratur maiestate,  
sed illam uirtute sua, sanctimonia, probitate maxi-  
me illustrat & tuctur, Quæ dum subeunt eorū men-

D E B E L L O T V R .

tes, qui simul ad rem gerendam sunt cōciliandi, nō facile sinunt, ut Christianæ Reipub. defensio, eadē concordia suscipiatur, qua defenditur a suis una aliqua ciuitas, in qua nisi ex incolumitate publicarum rationum, priuatim nemo non modo eminere, sed nec quidem esse potest. Id sane maximum & ad cōmunicandas defensionis partes uehemētissimum, quod potentiarum omnium quo cunctis nomine appellentur, maiestas et fastigii, mutuo quodam ueleti fulcimento inter se substinentur, ac sustinent, a quo si parum, ceu connuentes recedant, tanquam contigua & simul connexa ædificia, ab unus incendio periclitantur omnia, & si non succurrunt absumentur. Ita propagatione quadam uehementiae, cū quod impellit semper multiplicetur, & crescat unius alicuius potentiae ruina, labefactantur reliquæ, ac demū obruuntur. Quæ discriminis societas iure ac merito excitatura omneis uidet, ad mutuam communemq; defensionem. Sed ut cantus cōsistit quodam temperamento & mensura diuersarū uocum, quarum sine totius discrepantia, nullam netantillū quidem possis, aut eleuare, aut deprimere, nisi & reliquas correspondentis numeri, dimensione modereris. Nec ad harmoniam facit neruorum ad communem pulsū resonātia, sed cuiusuis nervi certa uel intensio uel remissio. Sic in ea quam dixi potentiarum alterius ex altera dependentia. Inest quidē necessitas conseruandi ac substinenti se mu-

Simile.

Legat  
attemp  
ad Apud  
In B

C iij



## ORATIO CALLI

cito, ceterum non minus cuiusque interest, quo in statu reliquæ conseruentur, ne si una aliqua paululum uel depressa fuerit, uel sublata, tēperamētum illud, quo omnes conseruantur, corruptatur. Quamobrem quis est, qui aut inuenire, aut postquam inuenit, persuadere queat, quo pacto, uel gerēdis rebus, uel uictoria perfruenda, nemo quicquid ad se pertinet reputet. Vel quod bellī premium, qua uel ratione expetatur: uel quibus in locis, & quo sit cum hoste congregendum, quandoquidem alij mari, alij uero terra sunt potentiores, omnesque diuersa ratione: quippe quod propter nauigiorum uelo, attra mis agendorum uarietatem, non pauciora pugnarum generā in mari uersantur, quam in terra, ubi nonnulli equitatū, nonnulli peditibus, quidam ex insidijs, multi in aperto, tum melius, tum acrius pugnant. Et ut omittam inæqualitatē discriminū, si uinci contingeret, quā humana ratio, seu potius quis diuinus intellectus credi potest, sic inter omnes uictoriæ fructum dispensaturus, ut nihil cuiquam accrescat, ex quo periculum reliquis subinde immineat. Distrahuntur his cogitationibus animi, & quisque rebus suis magis quam alienis intentus, mauult solus per discordiam, ceu priuatim, tutus esse, quam in concordia cum omnibus perditari. Et ut uera salutariaque sint, quae de religionis necessitate, inter Christianos ubique prædicantur, non tam in animos descendunt, obseratis iam  
pridem

D E B E L L O T V R.

pridem prope omnium auribus, uel timore amittē  
di sua, uel cupiditate retinendi aliena, pseueraturq;  
ultra in ea discordia, quam quisq; cogitat sibi opor-  
tunam. Sed ut cæteris in nationibus & gentibus,  
aut consilio, aut necessitate humana, eam rerumq;  
& animorum dissensionem retineri, ita fatale ma-  
lum Italiæ esse crediderim. Si enim terra omniū ter-  
rarum potentissima, maximeq; excellens, armis, e-  
quis, uiris, & in qua id, quod lōge his maius ac præ-  
stabilius, homines ingenio, uirtute, ratione, prope  
ad coelestes intelligentias accedunt, concors in se es-  
set & coulentiens, omitto quod nullis humanarum  
rerū terminis contineri posset, q; nihil usquam ma-  
gnitudini ac dignitati suæ satis esse arbitraretur, q;  
ubiq; omnia in terris uexaret, aggrederetur, expug-  
naret, cœlum ipsum minime intentatum relinque-  
ret. Et profecto in tanta ingeniorū, artium, machi-  
nationū subtilitate ac ratione, suspicari queat, si per  
ocium liceret & securitatem, inuenturam quomo-  
do mortalitati illuc ascensum patefaceret, eamq; ob-  
rem adeo immensis oportunisq; facultatibus mo-  
liendi atque efficiendi, adeo ingenti subtilitati,  
cogitandi & assequendi, supra uires, supra huma-  
num intellectum insitam esse a natura discordiam,  
non illam quidem acerbissimam & cruentam, ut  
se mutuo implacabilibus armis atque odio con-  
sicerent, sed tractabilem, ac prope nihil ultra,  
quam de humanis ciuiliter sollicitam, ne quid quod

Italiæ discor-  
dia.

Italorū com-  
mendatio.

Discordia a  
natura.

## ORATIO CALLI.

supra mortalitatem esset, uel agi, uel inueniri in quie  
te ac pace contingere. Sed esto, sit in promptu ra-  
tio, & temperamentū, componendis simul tam di-  
uersis oportunitatibus rerum atq; hominum. Sit  
idem in nobis, qui in maioribus nostris religionis  
ardor atq; cura, sit cuiusq; animo penitus infixum,  
sua minime ab aliorum Christianorum commodis  
separari posse, & diuīsim quenq; totum ex religio-  
nis maiestate pendere: preterea, sublato respectu ali-  
cuius potentiae in aliorum perniciem agendae: con-  
stet de æqualitate laborum simul & premiorum ge-  
redis rebus: nulla deniq; uel humana uel diuina ne-  
cessitas, cōciliandis simul Christianorum omnium  
animis & uolūtatibus aduersetur, multa tamen ad  
huc uī & natura sua inexplicabilia supererūt. Quo-  
modo enim constabit quo quisq; tempore mouere  
debeat? Si enim id quod maxime necessarium uide-  
tur, simul omneis in uere producendi, ante omnia  
propter locorum distantiam, cogentur pleriq; in ip-  
so rigore hyemis iter facere, tantaq; hominū simul  
& iumentorum vexatione conuenire, ut gerendo  
subinde bello, nullum in se momentum uideantur  
habituri. Sed p̄suadeamus nobis id, quod ego nō  
solum non impugno, uerum etiam constantissime  
asseuero, Deum affuturum religionis causæ, piosq;  
suorum conatus per aspera omnia & difficilia expe-  
diturum: concedamus tantum maris, tam procello-  
si, tam uarie insulis, uadis, scopulis impliciti, scelici-  
ter

## DE BELLO T V R.

ter difficultiori anni tempestate, enauigaturos uel  
Noruegios, Dacos, Suetios, ab Glaciali usq; Ocea-  
no, uel Britannos ex altero pene orbe, Hispanos au-  
tem a Gadibus, ultimisq; terrarū marginibus emen-  
tos tot flumina, mōtes, saltus, præter naturales gur-  
gitum, cautium, solitudinū difficultates, etiam gla-  
cie ac niuibus impeditos, tam integris uiribus atq;  
animis, quā uolumus peruenturos aliquando quo  
cunq; aduocabuntur. Eadem stet de Gallis ac Ger-  
manis persuasio, nihil aut insuperabile, aut inuium  
conuēturiſ obſiſtat. Quæ demum regio tantæ mul-  
titudini commode accipiendo assignabitur, quibus  
itineribus postea progredi quoah commeatu pos-  
ſe existimamus, quam deniq; rationem alicuius or-  
dinis, aut disciplinæ militaris sperare audemus, in  
tam uaria & multipli cogitationum, studiorū, lin-  
guarū ac morū diuersitate? Quod si diuisis copijs,  
hæc omnia industria, consilio, uirtute, authoritate  
Ducum, facile expediri posse dicātur, illud certe nō  
modo difficile, uerum etiam impossibile uidetur, in  
ter tot Principes ac Reges, genere, magnitudine ani-  
mi, uirtute, rebus gestis clarissimos, neminem fore  
omnino, qui ad alium quempiam summam rerum  
abs se transferri minime inique ferat. Non enī ſi in  
pace atq; otio quidam dignitatum atq; honorum  
gradus obſeruantur, credere oportet, in bello etiā  
et gerendis rebus, eundem ordinem ualiturum. Ut  
enī quisq; ad militiæ labores impiger, ad pericula

Noruegij.

Daci.

Sueci.

Britanni.

Hispani.

Galli.

Germani.

Quis ſe i  
perirent  
Atq; in  
pens ba  
Cerat

D

## ORATIO CALLI.

fortis, ad disciplinam peritus, ad consilia prudens,  
ad fortunā fœlix, ita maxime & uult & debet in bello  
eminere, ubi nulla, aut opum, aut dignitatis, aut  
potentiae existimatio, sed animi tantummodo spe-  
ctantur, muneribus obeūdis, industria et solertia,  
*Similitudo.* indignantq; fortes atq; impigri sui non simillimis  
parere. Ceu em fœlicitas humana habet natura sua  
*Etiam in*  
*Virtute Co-*  
*rumma*  
*Conclu-*  
*sit*  
*Cursum*  
*& ius*  
*plenum*  
*catequant*  
elatum in se quiddam atq; insolens, ita etiam uir-  
tus contumax est, Nec facile flectitur, ut deterioris  
imperium patiatur. Ex quibus colligitur superua-  
cuam curam sibi assumpsisse, qui de conciliandis si-  
mul Christianis omnibus aliquando agitauere,  
seu, quia tot pariter animorum ac rerum omnium  
discrepantias impossibile concordare, seu, quia  
ratio explicari non potest, quibus demum faculta-  
tibus, aut substineri, aut tractari concordes que-  
ant. Melius itaq;, qui aut cum paucis, aut soli  
actionē, de qua loquimur, suscepere. Cuius rei, ut  
*optime*  
*de di*  
*aut*  
*cum genial*  
*X 3*  
uetustiora omittam, locupletissinus testis est, tua in-  
clita ciuitas. Quippe, quod nullis externis auxilijs  
suffulta, suis opibus, suis uiribus, suis auspicijs, sua  
deniq; uirtute, consilio, magnitudine animi, ubiq;  
in toto orbe, maximas res, ut splēdidissimas, nō mi-  
nus fœliciter, q; fortiter sepe gesit, pro religione no-  
stra, uel cōseruāda, uelaugenda. Nec est uspiam re-  
gnum aliquod, aut Respublica, de qua plura & ma-  
iora in hanc sententiam cōmemorari queant, uel ter-  
ra uel mari gesta, præter hanc urbē ad omne genus  
magni-

D E B E L L O T V R.

magnitudinis, excellentiae, dignitatis a natura productum. Quę tamē ipsa, neq; adeo atq; tua ciuitas, longe colonias a se misit, neq; præter bella de imperio et gloria gesta tā late religiōis causa, pro sacrīs, pro templis, pro numinibus suis arma circumtulit. Quandoquidem quo Romanorum nomine tantummodo peruenit. Maiores tui ad Tanaim usq;, florentissimis colonijs imperium suum propagauerē. Nec est aliquid genus hominum, Christianis infensum rebus in Africa, in Asia, in Europa, cum quo non solum de amplitudine sua, sed de professionis nostræ iure atq; authoritate conseruanda solliciti nō s̄epius decertauerint. Verum huius aut temporis, aut actionis, nō est illorū bella, uictorias, triumphos enumerare, nec eam ob rem mentio hęc illata, sed ut planū fieret, nō magnopere laborandū de uniuersali Christianorum concordia, ad id bellū instruendū, quod una ciuitas cum uoluit adornauit, gessit, confecit. Possem ad hęc, licet nō adeo præ clara et magna, tamē multa et egregia eiusdē generis recensere de Pisarum urbe, qua quidē sane nescio, an sit aliqua in Italia angustior spacio, & circuitu suo, cum posset amplissime cuiq; comparari gloria rerū gestarum, captis aliquando Hierosolymis, recuperataq; ea om̄i regiōe, in qua salutis atq; immortalitatis nostræ omnia sunt orca & confirmata mysteria. Nec deessent, si cuncta quæ uobis ac mihi nota sunt, repeteret attineret, & aliarū etiam urbium,

Pisarūurbis.

D ij

## ORATIO CALLI.

### Conclusio.

tum Principum magnorum ac Regum exempla, quibus colligeretur, neq; eam, quæ inter Christianos est, discordiā obfuisse aliquando Religionis definitioni, cum una aliqua potentia, uel paucæ simul eam suscipere uoluere. Necq; aut melius, aut efficacius rem geri a Christianis posse, quā si abiecta cura conciliandi uniuersos, illi tantūmodo aduocentur, qui ad bellum facile cōuenire, commode produci, diu perseverare, ac fortissime pugnare possint & uelint. Sed planius hæc propemodum liquent, q; aut longiori oratione, aut pluribus exemplis sint cōfirmando. Atq; adeo a nostris transeo ad uires aduersorū, quos merito quidē ac iure timeri posse appearet, cum sint locis inenarrabiles, multitudine infiniti, diuitiarum fama nulli Christianorum Principum cōparandi: non tamen pro ut quisq; inter eos his omnibus eminere uidetur, ita etiam ordine de singulis disputabo. Ut cuncte enim regionibus ac situ non minus inter se, quam orbis terrarum diuissimæ partes, ad ortum solis, ad occasum, ad meridiem, ad septentrionem dispersi ac separati innumerabilibus populis habitabilem fere uniuersam terram frequentent, eodem tamen & armorum & militaris disciplinæ genere propemodum omnes uti non ignoramus. Et quicquid, quod quidē rem bellicam contingat, præter multitudinem de uno aliquo memoratur, ad alios quoq; facile transferri potest. Eamq; ob rē satis constabit, quid de reliquis eiusdē

Vires & fa  
cultas hostiū

notæ

D E B E L L O T T V R.

notæ hostibus intelligi oporteat, si de Turco dixer-  
o, a quo oppugnandorum aliorum nō initium so-  
lum, uerum etiam oportunitas uidetur capienda,  
& quem imperij rerum gestarū, opum uulgata ma-  
gnitudo, præterea uicinitas, longe ante omnes me-  
tuendum, minimeq; superabilē iampridē fere om-  
nibus persuasere. Nec sane præter causam, quando  
quidem constat eum multa simul regia possidere,  
cum quorum singulis, Romana olim potentissima  
Respublica diu anticipiterq; luctata, non prius in po-  
testatem suam redigit, quam consciendis bellis de-  
stinauit illuc, in usitata & noua consilij ratiōe, Impe-  
ratores ac Legatos, qui essent excellētia uirtutis, sin-  
gularitate prudentiæ, magnitudine animi, authori-  
tate rerum gestarum, omnium florētissimi. Et sane  
si ea quæ commemorantur fuisse aliquando, esset et  
nūc urbium, populorum, nationum multitudo in  
Ponto & Bithinia, in Capadocia, in Armenia, in  
Troade, in Pamphilia, in Cilicia, & ut trans Helle-  
pontum simul omnia breuiter complectar, in toto  
eo tractu, quia Colchide ad Syriam cis Euphraten  
cōtinetur. Præterea in Thratia, Macedonia, Mysia,  
Achaia, Pelopōneso, cæterisq; regionibus, quæ ab  
illo in Europa possident. Nec ab re fuisset omnino  
eorum cogitatio & cura, qui uniuersas Christiani  
nominis vires, congregare contra illū instituerant.  
Neq; forsan esset nobis ab eo instituto, si p̄fici pos-  
set descendendum. Sed nō ex ea quæ olim fuit, sed ex

Minor nunc  
q; olim popu-  
lorum multi-  
tudo.  
Pontus.  
Bithinia.

## ORATIO CALLI:

hac quæ nunc est rerum atq; hominum conditiōe,  
quid Turcus omnino possit, quæue illius faculta-  
tes, & quantum timeri oporteat, animaduertendū.  
Prouinciarum enim & regnorū, quæ modo nomi-  
nauī, tanta ubiq; uastitas & solitudo, quod exinde  
rerū quas gestas legimus, fides omnino iam perijt,  
nēdū magni alicuius belli, aut propulsandi spem,  
aut inferendi audaciam quantulam cunq;, possint  
excitare. Ac si quis, ueluti nos paulo ante, ea loca p-  
lustrat oculis, quærit in Troade ac Phrygia, uel cō-  
tra quos mille Græcorū naues, & tot Reges ac Du-  
ces maxime coniurauerant, uel qui totius Græciae  
tantū conatū, & tantū belli molem in annū usq; deci-  
mum extraxere. Nec uerisimile putat solertiissimū  
Ducē Hannibalē credidisse illis in regiōibus ac gen-  
tibus fore aliquid momenti, contra eam potentiaā,  
cui se duce Carthaginem, florentissimas opes  
succumbuisse uideant, miraturq; quid aut in Pon-  
to fuerit, quod nisi ab omniū bellorū, tunc uictore  
Pompeio, Populus Ro. expugnari posse despera-  
set, aut in Asia quod sine Scipione tertiae partis or-  
bis domitore, frangi, debilitariq; nequiret. Nam  
Romanā rem esse unius alicuius anguli earū solitu-  
dinum locupletatam, quilibet proridiculo asperna-  
tur. Iam uero Macedonū res, quas nisi fabulas exi-  
stimat, nullū in Macedonia uidens, illius quæ olim  
fuisse commemorat magnitudinis, monumentum,  
ut sileam de feritate, ac numero Thracum in bellis,

Solitudo in  
Turcicis re-  
gioribus.

Callimachus  
in Græcia et  
Afīa.  
Troas.  
Phrygia.

Macedones.

Thraces.

quoq;

## DE BELLO TUR.

quorum ne uestigium quidem aliquod in Thracia reperitur. Sed ne abutar patientia tua, omnibus que in hanc sententiam dici possent, audiendis, tria sunt ex quibus elici solet, quae sit potentia imperij alicuius, armorum atque hominum multitudo, diuitiae, res gestae: quae quidem pro locorum uarietate, atque amplitudine fortasse apud alios quosdam Christiani nominis hostes, non usquequam co[n]temnenda uideantur. Sed qualia re uera sint apud Turcum, in spiciamus. Nam si ad opinionem referatur, omnia pro maximis habenda esse intelligo. Itaque de hominum copia licet ex mentione, quae apud scriptores inuenitur, de celebritate urbium populorumque frequentia illis in regionibus, de quibus modo loquebar, planū sit tantā fuisse illic hominū multitudinē, tantā linguarē uarietatē, quod in uno Ponticis, ad iacentibusque nationibus emporio, Dioscuriadē res centū & uiginti interpretibus gerebant. Constatque Mitridatem, cuius regnū si ambitu & spacio suo cū imperio Turci conferatur, minima quædam particula inuenietur, uiginti & duas linguarum differentias, intra fines suos habuisse. Licet præter ea bella quae Turcus gessisse, aut gerere auditur, cum sine maximis copijs, nec suscipi, nec substineri, nec confici potuisse, aut posse uideantur, ingentis alicuius multitudinis opinionem, in animis pene omnium suscitent, tamen sic habeto. In totius Asiæ magna quidem illa, & Latinis ac Græcis literis.

*Subdiuīsiō.*

*Dioscurias.*

*Mitridates.*

## ORATIO CALLI.

Turcorum  
natio.

Greci.  
Bulgari.  
Boſinenses.  
Serui.  
Epyrote.

iuxta celebrata portione, quā Turcus habet, in qua complectebatur olim non solum quam modo dixi gentium a clinguariū diuersitas, sed multa simul regna, maxima, potētissima, nec minus quā Pontus multitudine hominum ac uarietate urbium celeberima, hodie nulli usquam indiginæ, nulli prisci cultores inueniuntur, sed per totum longe lateq; patens terrarum spaciū tot urbibus, tot populis, tot regnis prius in clytum, unica Turcorum nunc lingua & natio dispersa, quæ quam modica sit atq; infrequens, facile sit ex eo coniectari, quod ab tam exiguis obscurisq; profecta originibus, ut in tanta nouitate propemodum ignoretur. Nec est ab Asiae prope solitudine multum dispar status regionum, quæ Christianis adēptæ sunt in Europa. Nam preter peregrinos translatitios ex Asia Turcos, haud sane multos respectu magnitudinis famę, pauci omnino illic Græci, & longe pauciores Bulgari, nec maiori numero Boſinenses, Serui, Epyrote, omnesq; agricolationi, aut simili necessitati intenti, et in occasionem paratissimi, si queant ab se iugum depellere seruitutis. Quod si ad probandam Turcorum paucitatem, primordiorum obscuritas non satis efficax putatur, propterea quod maiora gestisse uidentur, quam quæ parua manu expediuntur, ut sileam q; eorum nihil, aut armis suis, aut viribus efficere, & quod omnia debent partim perfidiæ, partim ignavia illorum quos uicisse creduntur, repetamus animo non

D E B E L L O T V R.

mo, non strages pestilentiae, quae inter eos singulis annis, prope ad internitionem omnium grassatur, non maximas clades uetustioris cuiusquam belli, sed recētiores & quas tantummodo nostris temporibus accepere. Que plane docent, quod si nō a tam modicis ac prope nullis initijis, sed prout est in fabulis de Aeaco & Cadmo, si ui aliqua cœlesti & numine, nec semel, aut ex formicis facti, aut ex terra orti, sed quotidie fierent, uel orirentur, maiori etiam frequentia & copia, quam formice & fruges omnes, tandem tam saepe, tam multis in locis, tam ingentibus cladibus cœsos audiuimus, ut nihil omnino magnū de ipsorum numero credi iam oporteat. Ut enim p̄g teream res a Diuo Vladislao, Poloniæ atq; Hungariae rege gestas, quas in historia, quæ a nobis de illo ædita est, explicauimus, quæ adeo innumerabilis, adeo infinita multitudo, dici, singi, excogitariue potest, quam non penitus exhauserint crebræ ac maximæ uictoriæ. Huniadiani, omnis memoriae, omniumq; ætatum Ducis celeberrimi. Cui cum Hungariae præesset, ne nomē Turicum funditus deleret, ideo fata se opposuisse crediderim, ut esset, in qd' in clyti filij sui Mathiae regis diuina uirtus, incredibilis animi magnitudo, singularisq; & admiranda in rebus omnibus prouidentia simul & fœlicitas, uim suam & fortunam, Christianis rebus cōseruandis, exerceret. Quod si quoties in Europa uicti, fusi, cœsi a magno etiam illo Epyrota Scandrabeo, nec amici.

Cadmo.

Vladislauſ  
Rex.

Historia Cal  
limachi.

Ingēs ubiq;  
Turcorū nu  
merus cœsus  
Huniadiano

Mathiae rex

Scandrabeo.

E

## ORATIO CALLI.

Dracula.

nori, aut uiro, aut Imperatore Dracula Valachio. Præterea, si omnes Venetorum mari aut terra de Turcis partas uictorias prosequi uelim, quis est subinde crediturus, tam multis magnisq; stragibus, unū aliquem superfuisse gerendis bellis in Asia; ubi iniire non est, quam multos paulo ante Vsoncassanus in Mesopotamia, et nup Soltanus in Syria trucidauerit; præter absumentos ferro, fame, siti, cæterisq; humanis necessitatibus, contra Carmanum in Cilia, sub Tauro, et ad Candelorum, unde exangues & semimortuæ, copiarum reliquæ, cum reportaretur, eram ego Constantinopoli, & puduit me Christianam magnitudinem, eum sibi hostem intollerabilem persuasisse, quem regionis paulo asperioris, modica quædam incommoda fregisse, peneq; ad intermissionem multasse, uidebam. Prætereō strages in mari acceptas, & cum hominibus simul naues eorum non pauciores a piratis captas, quā ab illis, quibus eum bella gessere, tum pene classes totas. uel rei maritimæ insolentia atq; inscicia, uel tempestatibus absumptas. Quid enim attinet maritimæ afferre clades, extenuanda multitudine illorum, quos incredibile si penitus, tam multos in rerum natura fuisse, q; multi terrestribus prælijs interiere. Quippe quod tot in Europa, tot in Asia cecidisse scimus, q; mu tuo utrinq; fides prope abrogatur. Nec iam querendum, quo sint numero, sed nunquid aliqui suspint dubitandum. Eram in Asia multo antequā cōtra Sol-

Vsoncassan  
nus.

Soltanus.

Carmanus.

Candelorum.

1487

Constantino  
polis.

Callimachus

Constantino  
poli.

Callimachus  
in Asia.

enam

## DE BELLO T V R.

tanum infeliciter est pugnatū a Turcis, & iam tū illic, prēter haud sane multos, pro locorum natura & magnitudine, agrestes ac negociatores, tanta ubiq̄ hominum penuria, ut passim desperare, resisti posse, si ut fama erat, Vlsoncassanus tunc in Pontū & Bithiniam irrupisset. Quā solitudinē quantū subinde auctam credi oportet, post tot & tam maximas strages, a Soltano acceptas, in quib. nō solū militare hominū genus, sed ex agris quātulacūq; fuit in militiā coacta multitudo et negotiatores etiā periēre. Vidi etiam lōge antea, et nuper quoq; q̄ inanis et uacua sit Turcis Europa. Nam rei Valachicæ restituendæ causa & conseruandæ, a Serenissimo Rege Poloniæ ad Turcū legatus, maritima oīa inferioris Misiæ ac Thraciæ, dū prætergredior, mediterranea uero ad Macedoniam usq; et superiorē Mysiam inter redeū dum perlustrauī, nullus usq; locus munitus, nulla urbs, nullū oppidū sicutum, ut eius conditores aliqui unquam belli astuturi, uel minimam cogitationem uideantur habuisse. Nec aliud rerum omnium ubique squalor & uastitas, quam diuturnū atq; acerrimum bellū, in quibus uersatur locis, post se relinquit. Hominū uero oīs generis tanta raritas, ut ad nullū audius spectaculi accurrāt, q̄ ad hoīes cōtuendos. Cum enim propter regiam dignitatē paucō frequentiori septus comitatu prætergrederer, e Euguriolis suis omnis ætas atque sexus uisendi studio uias possidebat. In quo concursu mirabar ego.

Callimachus  
legatus ad  
Turcum.

Nota, solitudine per universam Misiā, Thraciā, Macedoniaā, ac ipsam Cōstātinopolim.

## ORATIO CALLI.

non solum paucitatem gentis, sed squalorem et sor-  
des, cum uideretur, non ex familiari lare, sed ex pro-  
funda caligine teterimi alicuius carceris, cum ferale  
habitu, ex eos macie uultus, & præmortua membra,  
uix ad cōspectum lucis proferre, et iam pridem ma-  
lis suis sic affecti, ut miseratione potius prosequēdi,  
quam armis oppugnandi uiderentur. Itaq; festina-

Constantino-  
polis.

Iudei.

bat animus ad reuiriendam Constantinopolim, quo,  
ut populus amplitudini urbis adæquaretur, scie-  
bam paulo ante toties tanquam affatim, iussu Tur-  
ci, ex omnibus quas habet regiōibus homines com-  
migrasse, ut etiam si bellū per ea loca deseuisset, ta-  
men adeo frequens & copiosa demigratio ex agris  
& oppidis, solitudinem passim fuerit relictura. Pre-  
figurabam enim mihi, uim tantam me illic hominū  
inuenturum, quanta in colēdis tam longelateq; pa-  
tentibus terris prius suffecisset. Succurrebat & Iude  
orum multitudo, quos supersticio & nouarum re-  
rum cupidio, quibus præter omnes alias gens illa  
conflictatur, ex uniuerso orbe illuc ferebant attraxis-  
se. Sed & nullus per id tempus uspiam Turcorum  
erat exercitus, opinariq; par erat etiam turbam om-  
nem militarem esse ad Dominū congregatam: Hic  
iam nō dicam, ubi ad locum perueni, expectatione  
me omnino frustratū, & qua toto itinere illic quoq;  
solitudine exceptū, fateor hominum plus aliquan-  
to, quam in via inuenisse, sed ubiq; per urbē pro-  
pe idem atq; inter proficisciēdum uideram. Squalor  
uestis

## D E B E L L O T V R.

uestis apud omnes, tum situs ac macies oris, & totius corporis inanitas. In uestibulo tantum curiae, quo ad augendam multitudinis speciem, artifices etiam ex officinis & stationibus suis coacti, luculentior pauci uestitus, uerum numerus gentis nequaquam aut fama, aut opinioni correspondens. Sed, ex quo apparet Turcorum res, non hominum multitudo, sed errore, ac uana Christianorum persuasione consistere, æque ut gentis paucitas contemnenda, ita arma apud eos, aut nulla, aut ridicula. De quibus De armis  
Turcorum ne per uulgata queq[ue], ac nota recenseam, transeo non ferro ductas, sed ex papyro ferruminatas galeas, & tenuissimis squamulis temere incrustatas telas, corporibus circumtegendas. Quæ tamen armorum genera adeo rara, ut non nisi apud Principes uiros inueniantur. Sed quoniam uideo nonnullas nationes in pugna non inermes solum, uerum etiam nudas prodire solitas, non magnopere perpendamus, quibus illi armis se muniant a vulneribus, sed quibus hostem soleant conuulnerare. Arcum habent tantummodo, & gladium, nec tamen omnes. In arcu quam diu ab seipsis non degenerauerant, non nihil momenti fuit. A principio enim non decoris, & non habilitatis, sed terrendi, ac sauciendi hostis ratio in omnium armorum genere habebatur, atque ideo sagittæ graves & praelongæ. Arcus uero amplitudine ac robre tali siebant, ut aspectu terrorent contuentes, & facile telorum pondus ac proceritatem ferrent. Nunc

Arcu Turti  
utuntur ex  
gladio.

E iii

## ORATIO CALTI.

trero per ambitionem decoris, omnia commutata,  
atq; adeo uelut in mollietatem corrupta, ut non for-  
tium virorum, ac militum tela, sed puerorum ludi-  
**Gladij Tur-**  
**corum.** cra uideantur. Sed et gladij ab omni militari discipli-  
na depravati. Ante omnia enim cū feriendi duplex  
sitratio, quippe quod uulnus aut punctum impin-  
gitur, aut cæsim infertur, ne punctum feriant, su-  
pini recurvisunt, & mucro in dorsum suum retro-  
actus, cæsim uero, si dimittantur, propter quod  
non uelut in gladijs aliarum gentium, latitudo fer-  
ri a manubrio paulatim detenuatur in acumen, sed  
contra, qua tenentur propemodum acuti sunt, qua  
uero feriunt latissimi, & carent capuli libramento,  
eleuari sursum, & ad geminandum ictum recolligi  
non possunt. Atque ideo, quod fieri arte quadam  
nonnulli putant, Turci, quandoquidem gladius  
in dorsum falcatus, & in mucronem auctus, ac pre-  
ponderans, necq; infigi cominus, necq; referri sur-  
sum queat, si absq; uulnere in uanum deciderit,  
necessario cogitur, insolito more reiecto brachio,  
in aduersum cæsim ferire. In quo genere ictus, quia  
contra ac nituntur nerui, intentatur, nullus om-  
nino grauis impetus esse potest. Sed nimis mul-  
ta de armorum atque hominum paucitate. Vtrū  
que enim facile paratur pecunia, qua si Turcus, ut  
fama est, abundat, nihil ei, quod quidem ad in-  
struendum gerendumue bellum pertineat, deesse  
potest. Atque ideo, quid de illius opibus conie-  
ctandum

DE S O L L O T V R.

Etandum sit, discutiamus. Tametsi, cum demon  
straretur nunc a me, regna & prouintias, quas oc  
cupat, inania tantum nominæ esse, ac solitudines,  
abunde intelligi potuerit, quis apud eum sit diui  
tiarum modus. Cum enim tam liberarum Ciui  
tatum, quam Regum opes, aut ex toto, aut ex par  
te, maxima & præcipua sint ex portiorum, & id  
genus uectigalibus, hortum autem tota uis atque  
ipsum fundamentalum consistat in hominibus, faci  
le intellectu est in tanta hominum raritate, uecti  
galias illic eiusmodi, neque multa, neque magna in  
ueniri. Sine his uero non satis intelligo, quibus de  
mun rationibus publicæ diuitiae magnopere mul  
tiplicari queant. Quod ex auri, argentiq; & me  
tallorum aliorum uenis, quas Turcus possidet, ar  
gumentum adducatur, scire oportet, nihil eiusmo  
di ab initio creatum, uel locupletandis regionibus,  
in quibus inueniretur, uel alijs oppugnādis. Nam  
si ita foret, quæ nimium sua munera natura dispen  
sasset, quæ totius humani generis æquissima parēs  
ac nutritrix, sic omnia inter oēs miro quodam tempera  
mento, ac ceu foedere mutuę necessitatis distribuere  
curauit, ut quacūq; in toto orbe patet terra habitabi  
lis alēdorū hoīm nūsq; ratio deceſſe posset. Atq; ideo  
quib. in locis frugū & ceterorū nutrientiū nos fru  
ctuū copiā denegauit, metalla & id genus alia indu  
xit, nō ad opū splēdorē atq; amplitudinē, sed ad uitę  
necessaria comparanda, ut esset q d mutuo utrinq;

Opes Turcic

Portoria.

Venem et metala  
lorum.

## ORATIO CALLI.

peteretur, locorumq; inæqualitas oportunitatem  
æqualitate sic compensaret, ut generis humani so-  
cietas, non solum ui rationis, sed multiplicibus eti-  
am necessitatum uinculis implicita & cōnexa, indissi-  
solubiliter persevereret. Ex quib; planum fit, de me-  
tallorum uenis, nō tam pecuniarum copiam, quam  
cæterarum rerum inopiam arguendam, nec quicq;  
aliud in illis naturam esse uoluisse, quam suppleme-  
ta quædam alimentorum, propter extremam, alioz-  
qui intolerabilem nonnullarum regionum sterilita-  
tem. Quod nisi ita esset prouiciæ uenis eiusmodi re-  
dundantes, nequaquam a gente, neq; multitudine  
neq; armis admodum potente, aut uinci, aut redigi  
in potestatem potuissent. Itaq; si uectigalibus mini-  
me abundat, & in metallis effodiēdis, deducta por-  
tione, quam necessario sibi operarum uendicant ali-  
menta, uix ratio constat impendiorum, restat, ut si  
quid est apud eum auri atq; argenti, totum ex ma-  
nubij ac p̄dā coegerit. Quo ex genere uideo pro-  
pe infinitas opes ad eū peruenisse; ne dicam ex Dal-  
matis, Epyrotis, Bulgaris, Seruis, Bossinensibus,  
Rascis, cæterisq; haud maximū nominis & momen-  
ti nationibus, sed redactis in potestatem suam, om-  
nium Græcorū in Asia atq; Europa diuitijs. Tum  
etiam Gotthorum ad Theodosiam, quorum opes  
tantas fuisse credere oportet, quantas ex spolijs pro-  
pe totius humani generis, multis ac magnis uicto-  
rijs cōportare illuc potuerunt, Ad extremū direpta  
Caffa

P̄dā Eu-  
corum.

Theodosia.

D E B E L L O T V R.

Cassi, quo Armeniæ utriusque aliarumq; circa Pon-  
tum regionum, præterea totius Græciæ naufragia  
a Turcorum tempestate, cum rebus omnibus quas  
secum afferre potuere, se receperunt, uelut in tutis  
simum portum: nos tam propterea, quod ea urbs  
situ atq; operibus munita, & prope in confinio or-  
bis terrarum ad Aquilonem uidebatur seposita, ab  
omni mediterraneorum bellorum strepitu ac peri-  
culo, quam quod erat sub tutela inclytæ tuæ ciuita-  
tis, quam propter rem nauticam, qua omnes gen-  
tes & nationes facile antecellit, maris dominam di-  
cere consueuerant. Propterea uero, quod adeo pro-  
cul abs se nomine atq; Imperium suum propagasset,  
in terra nō minus, quam in mari posse intelligebāt.  
Eamq; ob causam neminem fore aliquando arbitra-  
bantur, qui aut auderet, aut posset illice eos oppug-  
nare. Qua opinioē minime frustrati essent, nisi Tur-  
cus iampridem communis, non solum Hellespon-  
ti, sed Thracij quoq; Bosphori fauibus, liberū adi-  
tum præclusisset omnibus, in mare Euxinum, per  
quod defensio fuerat submittenda. Sed facile fuit in-  
cautos imparatosq; & ab omni exclusos auxilio ca-  
pere ac diripere. Quamobrem tam multis tamq; di-  
tissimis, tot locupletissimmarum gentium atq; urbiū  
predis, credere oportet illum, non ut modo dixi in-  
finitas facultates, uerum prope omnes humanæ for-  
tunæ opes, sibi accumulasse. At quos non modo ex  
præda redactos, sed quacunque etiam alia ratione

*Genua domi-  
na maris.*

## DE B E L L O T V R .

collectos thesauros , & pecuniarum acerios , adeo  
incredibiles , adeo infinitos , adeo supra extimatio-  
nem omnem ac numerum fuisse putandum , ut nō  
subinde exhaustos intelligi cōueniat , multitudine  
simil & magnitudine bellorum , q̄z mari ac terra  
substituit . Quādoquidē uario prælio & ac uictoria  
rum euentu , prope ad trigesimum annum extractū  
sit bellum , quod Turco post adflictas Græcorum  
opes Veneti intulere . Post expugnatā uero Cassam  
& Theodosiam , non a Venetis solum , sed a Cilici-  
bus quoq; , a Medis , a Persis , a Syrīs , continuo se-  
ueri sit coactus . Quibus in bellis adeo grauibus ac  
diuturnis tot simul in locis , tam saepe , tam magnos  
exercitus parasse , aut pro fortunę uarietate instaura-  
uisse constat , ut mirandum sit potius , aliquam om-  
nino pecuniarū uim tantam esse potuisse , ut in tam  
multis , tam ingentib. impendijs , nō defecerit , q̄z q̄  
aliquid superfuerit , suspicandū . Sed cōcedamus , pa-  
tris huius , qui nunc regnat , inexhaustas adeo fuisse  
opes , ut licet multū bellis impēderit , non minus ta-  
men filij moriendo reliquerit , propterea tamen q̄  
nunq; pecunia effusius dissipat , q̄z ubi honoris atq;  
imperij cupido , nullo preterq; largitionis cōfisa sus-  
fragio cōtendit , quib. præcognitū est , quomodo ad  
initio ad Dominatū peruenit , facilimū est deprehē-  
dere , quod in adeūdo cōfirmando q̄z sibi largitioni  
bus principatu , longe plus pecuniarum ab ipso , q̄z  
gerēdis reb. a patre sū erogarū . Nec solum paternore  
impē-

## DE BELLO T V R.

impeditiorū reliquias, sed uniuersas quas aliquādo  
ille habuit opes, tā præcipitē filij ambitū iampridē  
cōsumere oportuissē. Cū em̄ p imperio patris supra  
xx. annos in Asia pugnantē, sciret se ppe incognitū  
suis in Europa, et lōge supari a fratre gratia et auctorit  
ate, ubi paternę mortis nūciū accepit, nō solū q̄ ad  
manū erāt, sed quascūq; etiā, aut ab amicis e blandi  
ri, aut subditis extorquere potuit, pecunias militib:  
diuīsit, ut eos p̄tio cōciliaret sibi, q̄s ppter fr̄is paulo  
excellētores corporis atq; animi dotes, erga eū ppēst  
oris animi esse nō ignorabat. Postq uero ad loca p  
uenit, in quib: thesauros paternos custodiri serebat  
iam nō spōte, sed necessario, que inuenit oīa disp̄lit.  
Qñquidē id unicū superat admīniculū, uel attrahen  
di, uel cōseruādi apud se multitudinē, quā, nisi eius  
cōcitatissimū imperū blandimēto illo poccupasset,  
aut temere direpturā cūcta, aut ad fratrē defecturam  
presentiebat. Huc addē donatiūnū, nō q̄ties sibi dare  
placuit, sed q̄ties milites accipe uoluerūt distributū.  
Cum em̄ quæ in parente longe maxima fuit, autho  
ritate careat, nec quicq gerere possit maiestate, cogi  
tur fidē, obsequiū, sedulitatē, ac cætera oīa subdito  
rū, etiā minima munera cōemere a suis. Quippe q̄  
nisi pecunia, iratos sibi conciliare, deserturos retine  
re, seditiones placare, contumaces cohibere, detre  
stantes in militiam cogere nō queat. Quib: adeo ua  
rīs, adeo multiplicibus, adeo quidianis pfusionib:  
nedū Tyrāni unius p̄dg, orbis terrar̄ opes q̄cūq

# ORATIO CALLI.

Tertia subdi-  
uisonis pars  
de rebus ge-  
sus Turci.

Ferdinandus

Hydruntus.

Lauredoni.

sunt, minime diu sufficere ualuerint. Sed quoniam  
res a Turcis gestae huic quam explicaui hominum ac  
pecuniarum inopiae obstrepere uidentur, quantae  
ille quoque sint, & quantarum virium argumentum  
consyderemus. Possem euidem unica eademque ue-  
rissima asseteratione omnes complecti ac dicere, ni  
hil omnino esse in illis, quod viribus tantummodo  
effecerint, Constantinopolim & reliqua Thraciae,  
præterea Thessalonicam, Corinthum, & que in Pe-  
loponeso occupant, nec minus Euboeam, Caffam,  
Theodosiam, Trapezuntem, suorum prodigioni-  
bus succubuisse. Sed quia consideruisse quandoque ma-  
nū, ac minime euictos ab his audiuiimus, libet pau-  
lo distinctius, quas demum nationes & gentes supe-  
rauerint, explicare, ut prope contra rerum naturam  
ex uictorijs, quæ de alijs ad potentiae argumentum  
commemorantur, Turcorum imbecillitas maxime  
iudicetur. Transeo hic Hydruntū, Scodram, Rho-  
dum, cæterasque urbes, unde aut turpiter reiecli, aut  
abire per calamitatem sunt coacti, cum neque locus,  
neque tempus de his abunde dici patiatur, & ego in-  
gratissimus sim futurus, si uel inuictissimo ac sapiē-  
tissimo Regi Ferdinando breuibus uerbis, nec rei  
magnitudinem simul & meritum æquantibus, gra-  
tias recuperate Hydrunti agerem. Qua uictoria nō  
ab illa, sed ab hac sacrosancta urbe, totaque Italia si-  
mul calamitosissimæ seruitutis iugum depulisse in-  
telligitur, uel si amplissimam Lauredonorum fami-  
liam

D E B E L L O T V R .

miliam, parum profusa & accurata ratione laudare,  
cui ut Scodram tueretur, ideo fata dedisse credide-  
rim, ut Venetorum contra Turcum bellum, a qua  
coeptum fuerat familia, ab eadē maxime finiretur :  
uel deniqz si non plenissimo ore ingentibusqz lau-  
dum, non uocibus, sed clamoribus efferrem supra  
omnes Plateas, Salaminas, Termopilas, memorabi-  
le atqz insigne factum Rhodianorum, qui urbem  
suam non dicam dirutam iam & captam recuperar-  
uere, sed propterea dirui ac capi permiserāt, ut nul-  
lus in ea subinde locus, nullus propemodum lapis  
esset, qui Turcorum sanguine cōspersus, atqz adeo  
madefactus ad omnem posteritatem tantæ ac tam  
incredibilis eorum uirtutis manifestissimum signū  
non retineret, hostibus autem æternum foret mo-  
numentum, Rhodianorum libertatem non muris,  
sed hominibus expugnandis posse labefactari. Sed  
de ijs atqz alijs cladibus quas accepere Turci, alias  
plura & accuratius. Nunc quod proposui, ex illis  
quas in Europa uicere, non a quibus uicti sunt nati-  
onibus, de ipsis imbecillitate disputabo. Quanqz  
id ipsum, quod tam sepe fusi ac cæsi maximū sit do-  
cumentum, quod non armis, non militari discipli-  
na, non opibus, non multitudine ualent, sed tantū  
modo opinōe, uanoqz Christianorum timore nō  
nihil esse uidetur. Sed colligatur hoc, ut dixi, uicto-  
rijs, quarum tumida ac inconsyderata iactatio facit,  
ut ipsis uires pro maximis celebrētur. Nec em-

Rhodianis.

Quos uice-  
rint Turci.

## ORATIO CALLI.

iniuria. Quis em̄ audiens tot imperia, tot regna, tot  
potestias, nō longissimos subactas tempe, potest nō  
cōmoueri? Eos uero q̄ tam multa, tā uaria, tā longe  
lateq; dispersa bella, modo mari, mō terra obierit,  
nō putare potētissimos? Verū deditant ea q̄ victo  
rum proditionib; debent, extimēturq; subinde ui-  
res eorū quib; cū ferro decertauerint, plus omnino  
est, quod queat colligi de ipsorum rerum tenuitate,  
eo quod nationes adeo modicæ & infirmæ tam diu  
illis repugnauere, q̄ quod iactari possit ad poten-  
tiam, propterea quod aliquando eas deuicerint.  
Quid enim aut uehemens, aut magnum existimat-  
dum de uiribus, quas tam diu certaminib; tot Epy-  
rotæ, nō illi quidem urbium cum Pyrrho Rege suo  
expugnaturos, sed qui nūc sunt degeneres atq; agre-  
stes priusquam subuentur subfinuere, quib; Bul-  
gari non solum exigua, sed rudi etiam & peccitus  
pastoricia montanorum manu semper fuere pares,  
donec continui ac diuturni non belli, sed latrociniū  
tedio confecti & desperati inquietissimè libertati,  
ociosam seruitutem non prætulere. Serui autē necq;  
numerosa natio, necq; rebus bellicis exercita, sed me-  
tallis effodiundis intenta, & prope sine usu ferri,  
præterquam in subterranei laboris instrumento,  
post infinitum præliorum numerum uix tandem  
succubuere. Nam subigendis, nec tan. en omnibus  
Bossinensis & Rascis tanto conatu, tota nos,  
tot uaria scelicitum atque infecclium pugnarum ui-  
cissitu.

Epyrotæ.  
Pyrrhus.

Bulgari

Serui.

Bossinenses.  
Rasci.

## DE BELLO TUR.

cisitidine, Turcos laborasse, proculdubio indicat, exiguum esse omnino planeq; ridiculum quicquid id est, quod tanto pere Christiani sibi reformidandum persuasere. Hunc adde toties ductas, totiesq; inefficaces cōtra Valachos expeditiones, quæ gens Valachis. hodie in duas partes diuisa, quarum neutra cum maxime floruit haud amplius, quam sexdecim armatorum milia in bella mittebat. Et tamen qui ex illis Bisserabi nuncupantur, longissimo tempore tam exiguis copijs omnem Turcorum vim, non modo substiueret, sed saepissime etiam prouocaueret, priusquam intestina seditione partiti, & mutuo in semet saeuientes, maximum illum Imperatorem, & Dacem suum Vladislauum Draculam amiserent. Quo orbi mirum omnino nō statim sic cubuisse. Ita tamen longe post uenere in deditiōnem, ut leges suas omnes simul cum rebus, & penitentiam libertatem retinerent. Moldani autem licet in Euxini littore, amissis oppidis Moncastro & Liconstomo, quoq; in ostio Tyræ amnis, hic ad Tyagolā paludē positū interiora regionis suæ, nūc etiam retinent, & proximis annis tam magnas strages saepe Turco intulere, ut coactus sit demū Stephanū ipso ram Principem eundēq; incliti Poloniæ Regis Satrapam, non armis, sed cōditionibus cedente sociū atq; amicū appellare. O sane egregiā potentia, Hispanorūq; multitudini, Gallorūq; opib, Italorūq; uirtuti

Bessarabi.

Daculæ

Moldani.

Moncastrum

Liconstomum.

Stephanus.

nic o pomoxoy pol.

## ORATIO CALLI.

Germanorum viribus formidandam , cum qua de  
summa agrestes Epyrotē tam diu contenderint , Bul  
gari paribus viribus sepe confixerint , Serui prope  
nullis , uel militibus , uel armis bellū per annos mul  
tos extraxerint , qua deniqz Bossinēses et Rasci mul  
tifariam seorsum ancipiti fortuna pugnauerint , Va  
lachi uero repressis illius armis & conatibus , nō ut  
uicti , sed tanqz uictores paciōibus deciderint . Eat  
nunc si uidetur quis , ac Turci efferat uictorias , ac si  
mul nationes ac gentes ab illo subactas enumeret ,  
dummodo intelligat magis , nō omnino mirandū  
esse , quod nō uno , & leui impetu simul om̄es adeo  
imbellis , adeo inopes , ac modicas nationes statim  
subegerit , quam quod post tam longum tempus ,  
tam uehementes conatus , tot ac tam ancipites pr̄  
liorum casus cum singulis exhaustos , tandem cuiusc  
lassitudine magis quā viribus suis expugnauerit .

A quib. Tur  
ci uicti.  
Quod si parum ex ijs constat , quam non æqualis sit  
famę atqz opinioni res Turcorum , reputamus eti  
am memoria , quoties per hosce annos fusi , cæsicqz  
sunt in Asia , que adeo semper imbellis & effemina  
ta fuit , ut pene nullius unquam , qui ante hac contra  
se arma mouisset , impetu substinerit . Exindeqz ap  
parebit proculdubio nihil penitus tam inane esse ,  
& quod minus timeri oporteat , quā sit rumor qui  
de rebus Turcicis circumfertur . Nam cum virorū  
quorumcunqz armis , nec minus foeminarum facile  
semper cesserint Asiani , et in omni pugnarū genere  
a Rho-

# ORATIO CALTI.

¶ Romanis, a Macedonibus, a Græcis deniq; con-  
temptui, ut foeminæ omnino sint habitu, nonne ar-  
mis uiris, & tota militandí ratione, omnium genti-  
um ac nationū postremam dici oportet, quæ mini-  
me pars sit illis, quos nō modo uiriles acies, sed mu-  
liebres etiam bellis omnibus superauere. Atq; ideo  
cum satis constet ex ijs, siue prospera Turcorum, si-  
ue aduersa confideretur, omnē rerum ab illis gesta  
rum opinionē, tanq; inanem temere suscep tam, ab-  
hiciendam. Cunq; planum sit factum, ipsos non ho-  
minum numero, non armis, non opibus ualere,  
restat ut ad ea quæ ab inicio dicendi, cum de rei ge-  
rendæ ordine disputarem, modice per occasionem  
de Christianis facultatibus ueluti delibata sūt, pau-  
ca quædam superaddantur, quibus brevius etiam  
quam res postulat absolutis, ad reliqua, quæ in fine  
dicenda sunt properabo. Vos quæsto acrius etiam,  
quam in ea quæ dicta sunt, animū intendite. Disse-  
rendum enim de religiōis nostræ opibus, quæ nūc  
maxime sunt, decq; illis in posterum augendis & cō-  
seruandis, quæ quidem materia uberrima est & ple-  
nissimā dignitatis. Quippe de regibus maximis, de  
Civitatibus splendidissimis, de populis ac nationi-  
bus celeberrimis, quibus refera est, & supra maior-  
statem ornatissima Christiana Respub. Cuius am-  
plitudinis si per omnia decora euagandū, omnesq;  
opes ipsius, copias, facultates in medium protrahē-  
das censerem, preter id quod facile colligeretur, nul-

Afiani imbel  
les.

Subdiuisiōis  
Conclusio.  
De Christia-  
norum facul-  
tatibus.

G

## ORATIO CALI.

Ium omnino esse Christianum principem, nullam nationem, quem armis, disciplina militari, viribus, rebusque gestis, non longe Turcos antecellat, innumerable singulis commemorarentur, in quibus per omnia genera felicitatis, virtutis, gloriae, magnitudinis, oratio se iactaret. Sed neque instituti huiuscenam, neque temporis, virtutes omnes, aliaque diuina & humana bona quibus publice ac priuatim Dei populus maxime & ubique floret, pferre, comparare, extollere, Quādoquidē id quod ad rem transfigendam sufficit, infinita suppetit copia enumerandi atque effundendi, cuiusque Christianae gentis bellicas facultates. Nam ut ab his incipiam, quid est de quo aut plura dici, aut maioricum admiratione audiri queant, quam de tota belligerandi arte, ut, ratione, quae in Britannis, quae in Gallis, quae in Hispanis inuenitur. De quibus si exequi uelim, cuncta que possunt repeti singulatim, cuius gentis arma, equos, militem, virtutem, cum Turcorum squamulis, cintheris, predonibus, muliebrisque animis comparando, dies citius est materia, uel deridēdi haec, uel exornandi illa me deficiet. Sed necea nota tam inclytis omnib[us] bellica laude nationibus intrenda, ut conferantur pauculis & seminudis furunculorum turmis. Nec est a me committendum, ut videar suspicari quicque simile habere posse Turcorū, aut ferrum in hemisferios corniculorum laminas agglutinatas, officiisque exasperatos calamos, cū ingentibus robustisque

Britannē.  
Galli.  
Hispani.

Britan-

## DE BELLO TUR.

Britannorū arcubus ac sagittis, aut hebetes supineq;  
retusos cultros cum acutis, & ad omne genus uul-  
neris aptissimis Hispanorū gladijs, aut deniq;  
uestas, & pastorum etiam ludicris ridiculas fudes,  
cum ferratis ac prælongis, eisdemq;  
Gallorum hastis. Ut præteream corporum robo-  
ra, & proceritatem, etiam Romanis omnium genti  
um uictoribus saepe formidatam. Iam uero quā ab  
surdum fuerit, quam indignum, si Germanorū in-  
numerabilis non hominum, sed populorū ac genti  
um multitudinis, omniū bellorū genere, & cū omni  
bus pene gentib. exercitatę, res bellicas enumerare,  
ut præ Christianę rei magnitudine modica ex seruis  
ac trans fugis Turcorū manus, nullisq;  
aut humani  
aut diuini iuris uitaculis, sed tñmodo latrocinandi  
studio & flagitiosissime agitandi licetia consociata,  
contēnenda uideat. Nam Italię quidē sanctissimum  
nomen et res augustissimas, ad huiusmodi maculas  
& dedecora humani generis deprimenta, iactare,  
tam nephariū sit atq; indecēs, quam si diuina & per  
petua terrenis et caducis cōparent. Atq; ideo ne aut  
ineptus sim, q; ad exigua atq; intermortuā scintillā  
militaris laudis Turcorū offuscandā, a Christianis  
tot ignes maxios & belli ardētissima fulmia pducā.  
aut oblitus uidear eius q;d dixi ab initio, rectius ui-  
delicet sensisse, q; non tota Christianorū uiriū mole  
aduersus illos prodeundum censuere, nec de mul-  
titudine habendam rationem, sed sic rem totam

Germani

Italia.

ORATIO CALLI.

moderandam, ut copiarum quantum uictorie satis esset produceretur. Quandoquidem eo peruentum est, ut si immortalitatis, si salutis, si gloriæ nostræ, que in periculum iampridè rapiuntur, diuina mystæria salua esse uolumus, arma capere, atq; in acie prodire cogamur, tantæq; suppetant facultates, ut delectu non multitudine sint producēdæ. Nihil aliud,

*Cuius potissimum  
mū facultates  
digne, cui cō-  
mittatur Chri-  
stiana defen-  
sio.*

quod demonstretur superesse iam uideo, nisi quis potissimum, aut Rex, aut populus inter tot ornameta, & lumina religionis nostræ eligendus sit, cui meritio publica omnium Christianorū salus, in primis huius sanctæ sedis patrocinium committatur. Et sane si aliud quipiam, quam de conficiendæ rei commoditate quæreretur, uideri queat anceps hæc de liberatio, propter multorum Regum, Principum, liberarumq; Ciuitatum nobilitatem, uirtutem, religionem, res gestas, in quibus nō facile quisquam aliū sibi præferri uelit. Nunc quando id querimus, quod nō cuiuspiam libera uoluntas, nō industria, non uirtus, sed regionum natura præstiterit, tam equo animo cæteri inuictissimum Poloniæ Regem, in hac naturæ commoditate prælatum sibi patiantur, quam in reliquis quoq; que uirtus ipsa, & non uoluntas præstat, equari, uel etiam uinci patiuntur, præsertimq; q; nulla est cōmoditas, ex multis ac maximis, quas frugum, pecoris, metallorū, rerūq; aliarum ubertate, diuersis terris natura induxit, quam quisquam, dempto beatitudinis fructu, minus forsan quam

san quam hanc, pro religioē pugnandi, sibi cupiat  
 contigisse. Sed omissis alijs, quibus etiam præter lo-  
 ci oportunitatē cætera omnia cumulatissime super-  
 esse intelligo, quid tandem uelit aut possit præstare  
 Polonus, qui tum oportunitate, alijs omnibus, quæ  
 ad rem gerēdam faciunt, abundat, discussiamus. Ac  
 primū de uoluntate, ut id quod ab initio professus  
 sum, demū colligatur, Christianos quam facilime  
 posse pristinū religioni decus atq; amplitudinē re-  
 stituere, difficile omnino præterquam Deo Opt.  
 Max. cuiusquam certam uoluntatem deprehēdere,  
 propterea quod non solum insita penitus in archa-  
 na mentis, humanorum sensuum omne iudicium  
 effugit, sed etiam propter multiplices simulationes  
 sermōis, oculorum, frontis, quibus ueluti signis &  
 nuncijs, cogitationibus cognoscendis, uti consueui-  
 mus. Quo igitur pacto, uolūtatem Poloniæ Regis  
 in religionem possumus demonstrare? Nempe ex  
 factis. At illa quoq; singi ad tēpus, & simulari inte-  
 rim solent. Contingit & id quidem, sed in una atq;  
 altera actione. Vbi uero cuiuspiam totius uitæ cur-  
 sus eadem equabilitate, ac tenore cum summa con-  
 stantia & grauitate, in unum idemq; consentit, pla-  
 num est illum iam nō simulare, sed idem uelle quod  
 facit. Porro quid uspiam in terris ab aliquo mortali  
 aliquando simili robore animi fac uirtute suscep-  
 tū, aut tanta constantia & grauitate retentum, atq; a Re-  
 gibus Poloniæ professio & tutela Christianæ reli-

Quid uelit  
 aut possit Po-  
 lonus pro re-  
 ligione tuen-  
 da?

## ORATIO CALLI.

Vladislauſ  
Rex.

Tartarus.

gtonis. Nam ut a Diuo Vladislao, huius qui nunc  
regnat genitore ordiar, qui nō ut alij fere oēs Prin-  
cipes ac nationes, ui atq; armis cogentibus, sed iudi-  
cio et ratione sic fidei nostræ paulo ante accessit, ut  
plus pene agri atq; hoīm cum ipso Christiano no-  
mine accreuerit, q; perditū sit postea multis & natu-  
ra sua insignibus, & fama rerū gestarū inclytis puin-  
tijs, Thracia, Mysia, Macedonia, Dardania, Epiro,  
Achaia, Peloponesso, aut uniuersis, aut maiori ex  
parte amissis in Europa. Ut prætereā damnū Asiati-  
cum in Trapezundæo imperio, ppter quas iactu-  
ras nisi accessio tanta cum Vladislao præcessisset de-  
summa totius Christianæ rei omnino desperare o-  
portuit. Quid em̄ futurū fuisse existimamus, si nisi  
eū hostē Vladislauſ Christianū nomē pſessus in se-  
auersum tenuisset. Tartarus suas uires Turcorę co-  
pijs adiūxisset, quādo ab his solis tam multas clades  
accepimus, tam multis prouintijs orbati simus, ut  
uix ultra eos laturi uideamur. Sed accessionē hāc ad  
fidē nostrā, licet maxime memorabilē plenissimāq;  
immortali gloria, & si ab alio pfecta esset, inter pri-  
ma p̄dicandam, nō inuitus tranſeo, festinans ad ea,  
que omnē prope fidē excedūt, certe similitudinē in-  
ter religiosarū uoluntatū exēpla nō habēt. Inter om-  
nia enī maxima & p̄clarissima, per que Christiana  
amplitudo subcrevit, utcunq; oēs oīm res geste in  
mediū protrahant, minime uel inueniri potest, uel  
proferti factū aliquod, qd' sit cum ardentiſſima re-  
ligionis

D E B E L L O T V R .

gionis charitate, cum incredibili uirtute, summaq;  
humanorum periculorum despicientia, qua Vladis  
laus professionem nostram & suscepit & sustinuit,  
comparandum. Nam cum uideret ad quod invita  
batur, si Christianis sacris iniciaretur, se cum suis  
nō uelut intra muros religionis nostræ tantummo  
do ad illius fructum recipiendū, ut plerisque alij con  
tingit nationibus, sed remansurum quasi sepimen  
tum quoddam, & uallum ceterorum, sine modo, si  
ne fine aliquo, a Tartaro immanissimo eodemq;  
potentissimo hoste oppugnandū, tam grauem tot la  
boribus ac discriminibus refertam, planeq;  
despe  
ratam perpetui belli necessitatē suscipere non ex  
pauit. Quāta per Deū immortalē fiducia, fiduciam  
dico, q̄sta fuit excelsi atq;  
inuictissimi animi sublimi  
tas, quanta amplitudo, quanta firmitas, eum hostē  
sibi sponte a sciscere, quem nec uinci, nec deleri, nec  
pacari posse intelligebat. Quo enim pacto spera  
ret, aut uincere non cōgredientes, aut delere insini  
tos, aut pacare latrones? Non est enim, ut ex bel  
lis, quorum nobis omnis ars cognita est & discipli  
na, coniecturam faciatis, ad consequendum ani  
mo, quæ sit illis in regionibus, & cum eo hoste di  
micatio. Quippe quod ubique alibi, multo an  
te affuturum bellum apparet, datur spacium col  
ligendi se ac parandi, licet aduersus hostem pro  
gredi, conferre castra, in aciem prodire, manum  
conserere, & placrumque uno atque altero prælio

Egressus de  
rebus uitag  
& moribus  
Tartarorum.

ORATIO CALLI.

totum bellum cōficitur. Deniq; aliqui sunt regionū  
fines, ultra quos nequeat hostis necessitatē dīmi-  
cationis effugere. Illic uero tanquā Autumnalis, aut  
Vernia aēris tempestates, & procellæ, omnia inopinata,  
subita, uehementia, momentanea, nullus con-  
silio locus, nullus uirtuti, nullus diligentia ac disci-  
pline. Quid enim quantumuis sapiens Imperator,  
aut prouidere, aut moliri queat, cōtra inopinatum  
impetū: ubi occurret palantibus, & tam uagis, quā  
aut in aere uolucres, aut in mari pisces, aut in syluis  
feræ. Qua ratione, uel cōtra instabiles castra, uel cō-  
tra dispersissimos aciem, uel contra refugos praeliū  
constitueret. Deniq; quibus artibus in necessitatē pu-  
gnandi adiget illos, quorum fugae nulli propemo-  
dum termini sunt impositi; O duram cōditionem,  
& miseram, ac plane nullo, præterquam immortali-  
tatis premio subeūdam, cum eo hoste rem gerere,  
aduersus quem nulla sit ratio, nedum exercēdæ, sed  
nec ostentandæ quidem alicuius uirtutis, aut milita-  
ris, aut imperatoriæ. In bellis enim alijs maxime ple-  
rūq; laudes etiam apud uictos remanēt, si nihil aut  
ab Imperatore, aut militibus prætermissum, quod  
quidem ad uictoriā facere posse uideretur, in du-  
cendo exercitu & collocando, in obseruanda tem-  
porum a locorū natura, in dirigendis hortandisq;  
aciebus, simulq; in pugnādi alacritate, et seruando  
rum ordinum diligentia. Verum contra Tartatos  
quælaus in uictorib, nedū in uictis enitere potest,  
ubi

D E B E L L O T V R.

ubi omnia sine consilio, aut arte aliqua per trepidationem actum multum aggrediēda. Et merito rerum initia temeritati, quæ trepidatiōis est comes, exitus uero omnis fortunæ attribuendus. Quandoquidē non composite instructoq; & accurrentes expectaturo agmine accedunt, sed in populationes improuisi, uelut e terra exoriūtūr. Si occurrat, effugiunt, insultant in cautis, repugnatores declinant, nullo loco consistunt, nullo certo itinere, aut irrumpunt, aut se recipiūt, nec possis nisi casu ad eos peruenire. Quippe quod in vastis, atq; in immensum undiq; patentibus campis, non uestigij aut signi alicuius, sed syderum obseruatione, tanquam in mari quæcā di sunt atq; insequendi, & procul dubio eorum qui prænauigarunt uias & receptus, ubi nullum omnino uestigium relinqui potest. In mari citius obseruaueris ac deprehenderis, quam illic aut uenientiū incursum, aut euadentium fugam Tartarorū. Atq; ut eiusmodi hostium multitudinem simul ac natūram omnem intelligatis: Genus est hominū si modo homines dicendi, qui humanitatis neq; legibus ullis, neq; moribus continētur, sed neq; in terra agitant, neq; pedibus utuntur ad gressum. Quippe, q; aut in currus, aut in equos sublati, nisi humanæ necessitates aliquando eos ad terram reuocarent, medium quandam regionem inter uolucria & gradientia animalia, uelut in aëre obtinentes ætatem omnē transigunt. Ut cuncti tamen, quando prope ad for-

H

ORA TIO CALLI.

miam hominis accedit, genus inquam est hominū,  
multo quam cæteri mortales ad motum celerius, &  
laborum difficultatumq; aliarum patientius, quo-  
rum ego hoc ex rigore prope perpetua hyeme obse-  
ſa terre, a qua non multum amotī, illud uero ex aë-  
re in quem curribus aut equis admoti degunt, pro-  
uenire crediderim. Cæterum ueluti celeritas, mo-  
tus, difficultumq; patientia maior apud illos, quam  
in aliorum naturis, ita in reliquis omnibus totius  
uitæ ratio atque institutio, prepostera ac peruersa.  
Aliarum nanq; gentium quælibet diversa ratione,  
suis sithul ac regionum oportunitatibus se accōmo-  
dans, locum sibi delegit, cui cum propagatione so-  
bolis, & prope perpetuitate quicquid est aliud in  
terrīs, aut opis, aut iuris, uel in humanis rebus,  
uel in diuinis ueluti deberet, quorum beneficiorū  
religiosa quadam & profunda charitate deuincta,  
non dubitaret subinde uitam, & quæ chara sunt  
iuxta uitam, omnia pro illius loci incolumitate re-  
linquere, quem etiam ut non minus, quam fructu  
nomine iucundū sibi, & sanctum redderet, & plus  
quam uitæ authorē esse significaret, patriam nun-  
cupauit. At Tartari tanquam Grues, aut Ciconiæ,  
cum anni tempestatibus emigrantes, nullo soli ali  
cuius præcipuo, uel amore, uel studio commouen-  
tur, sed assidue locum ex loco mutantes, nec us-  
quam diutius, quam aut pastiōis oportunitas, aut  
rigor aëris paulo remissior persuaserit commoran-  
tes,

## D E B E L L O T V R.

tes nedum quæ sint patriæ præsidia, fructus, orna-  
menta, dignitates, sed ne suauissimum quidem no-  
men illius intelligunt. Apud alios cum prima est eti-  
am priuati domicilij, & familiaris laris cura quæ  
dam ac religio, simulque sub tecto & intra pari-  
etes agitandi par consensus, atque institutum, est  
domesticæ rei disciplina, est matrimoniorum cha-  
ritas & reuerentia, liberorumque educatio ac pro-  
tectione, est cognationum ac propinquatum in-  
tellectus atque obseruantia, sunt belli ac pacis iu-  
ra, sunt leges, sunt consuetudines, sunt mores, ad  
quorum normam communis uita instituatur, de-  
nique aratur, feritur, & nutrimentis, ac ceteris ad  
uitam necessarijs in futurum prospicitur, quæ Tar-  
taris in aperto ac sub Diuo, & praeter currus sine  
ullo omnino, aut publico, aut priuato ædificio a-  
gitantibus diuersa sunt omnia. Nec est quod cum  
de illis cogitatis uobis in mentem ueniat, parsí-  
moniæ, frugalitatis, diligentia, cæterarumq; uit-  
tutum, quibus & priscis & nostris temporibus  
intra domesticos parietes priuatis ac familiaribus  
administrandis multi maximas laudes sunt conse-  
cuti. Primum enim inter eos, ne umbra quidem ali-  
qua cuiuspiam institutiōis nedum uitutis rei do-  
mesticæ administrādæ, sed nec res est illa domestici-  
ca, adde q; nec quidē necessaria, domiciliū nō habē-  
tibus. Matrimonij uero huius uite uici, uel certe  
p̄cipui, tum præsidij tū ornamēti, quādoquidē non

H ij

ORATIO CALLI.

iudicio aliquo & posteritatis cogitatione, sed libidine atq; impetu animi, nō uni, sed cōplurimis uxori bus cōiunguntur. Eademq; temeritate qua coēunt quotidie separātur, neq; adfectu, qualē tota in uxorem unam congesta chāritas gignit, neq; sanctitate quā diuturnitas cōsuetudinis parit, tangi possunt. Itaq; nulla eius uinculi dignitas & reuerētia, sed peculiū loco uxorum multitudo annumeratur, quotiescq; oportunitas p̄suaserit, ad seruitutem nationibus alijs uenūdantur. Eadem est in propinquos cæteros atq; etiam in filios impietas & nundinatio, ut facile appareat nullam aut sanguinis, aut propagationis, uel curam, uel dulcedinem, quibus nec immannissimas quidem feras natura immunes esse uoluit, sequissimis atq; indomitīs eorum pectoribus in h̄c cere. Bellis autē, si modo bella dici oportet, latrocinantium subitarij tumultus, & prædandi mergocasiones, non ueliscendę, nō propulsandæ iniuriæ, non propagandi imperij cogitatione, sed acquirendorum alimentorum necessitate promiscue contra suos simul & alienos tam pertinaciter insistunt, q; qui pax quid sit, penitus non norint, nedum equitatis alicuius, quales pacatis in regiōibus seruant leges et iura, uel credere, uel sperare ualeas inter eos, qui uicissim omnes simul ab ipsis prope incunabulis imperant, parent, docent, discunt latrocinari, & sine ulla futuri meditatione, ut rapaces feræ in dies uiuunt. Adde q; nec dissimilibus alimētis usum pa-

D E B E L U O A T V R.

nis non habentes , sed nec ignis quidem ad cibos .  
Quippe quod uel suis sub alis , uel sub stratis iumentorum calefacta , aut omnino frigida & cruda , maximeq; equina carne se cruentis unguibus , simul atq; ore infarciunt , quæ si quando defuerit , sauciata iumenti uena , calentem , ac nonnihil adhuc brutæ animæ in se retinentem cruentem , lacte ac milio admixto , ingurgitant simul ac deuorant . Acceditq; alimè torum diritas , non mediocre incremētum ad naturalem feritatē , quam etiam exauget multitudo , qua freti , ne dicam insuperabiles , se credunt omniū gentium dominos , atq; Imperatores se esse profitetur .  
Ab oristene em. amine , qui ad Orientem terminus est Regni Poloniæ , usq; trans Imaum montem in Asiam , et ad Septentrionalē Indiam porrecti , quicquid terræ per tam lōgum spaciū iacet , inter Hyrcanum mare atq; ultimos damnatosq; frigoribus orbis fines , non solum proculab omni mansuetudine & ciuiliori usu , sed etiam pene extra humanæ naturæ terminos frequentissimis populis simul occupant , simul implēt , quos si numero aliquo complecti coneris , nihil plus facias , q; si uniuersi maris arenas dinumerare aggrediaris . Huic itaq; tam immanni , tam efferrato hosti , quem Vladislaus ipse multitidine infinitum , bellorum uero ceu facibus semper furentem sciret sponte se opposuisse , ac ueluti priuatis armis publicum Christianorum omnium bellum gerendum suscepisse , in quo si quid certaminū sorte

prosequitur .  
de uoluntate  
Poloni .

## ORATIO CALI.

prosperum contingere, fructus ad alios peruenie-  
rit, aduersa autem omnia eum ipsum tantummodo  
in quem recidissent, debilitarent, ac frangerent, in-  
telligitis profecto non eius fuisse, qui regioni tum de-  
mum cum periclitaretur succurrere constitueret, sed  
qui priusquam illa in periculum raperetur, aliquando-  
se pro eius incolmitate quasi deuotum cum suis om-  
nibus deleri mallet. Quod si uacaret per omnes res,  
subinde ab illo gestas euagari, & cum reliquis pug-  
nis momenti ac nominis prope similis imprimis re-  
petere, & in partes suas digerere ac comparare cum  
alijs ubicunqz cōmissis, illam, quam Poloni magnū  
Tartarorum conflictū uocant, nec sine causa, quan-  
doquidem atrocissimqz illi stragi Trebia, Transime-  
nus, Cannæ insignia cladibus nomina, cedere iure  
possunt, exindeqz colligere, qua constantia, fide, ro-  
bore animi, hanctuendæ religionis uoluntatem ul-  
tro suceptam, per omnem uitam denique substi-  
nuit, facile appareret, cum infinitos secū Christia-  
no nomini adieceret, quod illius non pauciores ini-  
micos postea deleuit. Sed festinat oratio ad recen-  
tiora alia, cum tamen illa tam recentia sint, quam  
quæ geri contigit intra annum ab hoc qui nunc  
agitur Nonagelium. Itaque uenio ad eius filios, <sup>qui</sup>  
maximeque ad Casimirum, qui nunc regnat. Nam  
alterum Vladislauum scilicet, cum Hungari, iam  
tum regnante apud eos Sigismundo Cæsare, a  
Turcis premi cœpissent, & post mortem Alberti,

Trebia.  
Transimen.  
Cannæ.

Vladislau.  
Poloniæ &  
Hungariæ rex

D E B E L L O T V R.

qui Sigismundo successerat, uiderent Regnum suum non facile bellum quod urgebat, propulsatum, sine eo defensore, qui esset uirtute, auctoritate, rebus gestis, felicitate omnium qui uiuerent praestantissimus, neque propter uicinitatem ignorarent, quanta & qualia gesta essent contra Tartaros, prius a seniore Vladislao, & subinde etiam a iuniore, qui Diuo parente suo ad id bellum simul cum Regni successione, quasi per manus acceperat, incredibilique uirtute ac felicitate gerebat, tanquam ea familia non secus ac Paulus diuina electione conuersus, propulsandis ubique religionis nostrae discriminibus designata esset, illum potissime qui apud eos regnaret, diligendum putauere. In qua deliberatione credendum est omnino assuisse illis diuinum aliquod consilium & cœleste numen, ne celeberrimum istud Regnum futurumque alioqui intinctissimum, mali alicuius casus conditionem tunc subire ad duceretur. Cæterum uelut euentus indicauit, felicitati Vladislai nihil ultra fata debebatur, quam Titulus tanti Regni pro incolumitate Christianæ rei successoribus conservati. Duxit enim duas contra Turcas expeditiones, in quarum secunda mortem oppetiit. Prius tamē cōtinuis successibus Turcorum arma eosque retuderat, uires debilitauerat, animos atque audaciam fregerat, ut multos

## ORATIO CALI.

Casimirus  
Rex.

post mortem ipsius annos ab inuadēda Hungaria abstinuerit. At Casimirus, quē ad maiora fame atq; amplitudinis momenta, diuina prouidentia destinasset, ubi Regni accepit gubernacula in familiari & domestico Tartarorum bello, id quod propter eius hostis naturam & mores factu omnino est diffīciliū gerendae rei occasione, admirabili quadam & diuina ratione sic praeuidit, incredibili celeritate sic occupauit, fortunatissimo euentu sic transegit, ut prae huius consilij sapientia, uirtutis magnitudine, foelicitatis splendore, parentis fratriscq; sui amplissimae res gestae, quodammodo obscurari uideantur. Et quid ni obscurētur, quandoquidem in illorum uictorijs extremū fuit, potentissimos hostes uel fugasse, uel fudisse. At is exercitibus prope delectis, Regibusq; et Imperatoribus, aut cæsis, aut captis, et in seruitutem abductis, pro arbitrio suo alios præfecit, a quibus etiam cum uoluit sæpenumero Regnū & Imperium subinde transtulit ad eos, in quibus Tartaricæ perfidiæ pugniora signa eminebant. Repletantur hic animo omnium ætatum, omniū Regum, omnium nationum res bellicæ, nihil maius, nihil admirabilius, nihil quod minus humana ueneratione a clade plene ornari queat inuenietur, q; Reges & Imperatores illis dedisse gētibus, quas nemō unquam impune bello lacessierit, & quæ uictorijs suis maximis & pulcherrimas orbis terrarum regiones sæpe submisere, ab oībusq; in uictissim æ semper

# D E B E L L O T V R.

semper ubique præstiterunt. Iam uero quam magnificum, quam sublime, quam prope ad diuinæ maiestatis fastigii elatum, habere inter domestica servitia, Principes ac Dominos eius nationis, que aliarum omnium Principem se esse ac Dominam profiteatur. Quod ut Casimiro contingeret, cum incredibili uirtute summorum ipsius felicitate perfectum, cū perpetuae constantiæ eius in Religionē uoluntati diuinitus est attributum. Vidimus itaque Tartarorum plærosque Reges cum coniugibus ac liberis, aut bello captos, aut authoritate in potestatē redactos, tam equissimō animo apud eum seruire, quam qui nedum regnassent, sed ne partem quidē minimam libertatis essent experti aliquando. De quibus rebus si dicendum foret, ab eruditissimo aliquo & facundissimo viro Pomponio, Cortesio, Politiano, Scala, Calphurnio, Brognolo, Albertino, uel ab alio quopiam, qui ingenio, exercitatione, doctrina cū his quos nominaui esset conferendus, possetque uelut illi assequi oratione quantū uellet, o quam multa, quam sublimia, & uel rerum ipsarum magnitudinem, uel augustissimi huius loci dignitatem coæquantia audiretis. Nonnulla enim ad C. Cæsaris in gerendis rebus celeritatem atque industriam, nonnulla ad Pompei rationem & disciplinam referrent, in quibusdam C. Marij uirtus & cōsiliū, in quibusdam Q. Maximi prudentia & grauitas commemoraretur. Ad extremū prout sunt singula gesta, esse

Pompeius.  
Cortesius.  
Politianus.  
Scala.  
Calphurnius  
Brognolus.  
Albertinus.

C Cæs.  
Pompeius.

C. Marius.

## O R A T I O C A L L I.

dicerentur, aduersus eum hostem, cuius cum insus-  
tus, consilia, receptus, necq; obseruari, necq; deprehe-  
di humana ratione possint, diuino quodam intelle-  
ctu ac prouidentia peruenire ad ea oportuisse intel-  
ligeretis. Eum uero qui talia gessisset iure supra ho-  
minem collocandum atq; habendum esse. Mihi au-  
tem pro ingenij mei atq; doctrinæ mediocritate sa-  
tis sit ex his, quæ uel dicta sunt, uel dicenda, appare-  
re, institutum, & uoluntatem tuendæ religionis, se-  
melab Vladislao susceptā constantissime semper a  
suis postea & retentā esse & retineri. Quippe q; cū  
crebris eius familiæ uictorij, paulo ante res eo de-  
ducta foret, ut prope nihil superesset, quod magno  
pere a Tartaris formidari iam posset, Turcus autē q;  
si ab illis Polono domi ocium daretur, intelligebat  
fore, ut sua protinus oppugnarentur, incredibilem  
eius gentis multitudinem ab Hircano usq; mari euo-  
catam, inter Axiacum ac Boristenem amnes se reci-  
pere persuasisset, ex quo loco Poloniæ regnum, hoc  
est religionis nostræ arx & propugnaculum facile  
inuadi a clacessiri, illi uero propter paludes & flumi-  
na, quibus circumsepti, difficilime uel audiri pos-  
sent, uel oppugnari, inuenit propèissimus in rem  
Christianam Casimiri animus, quo pacto id discri-  
men non solum in præsens submoueretur, sed eti-  
am, ut si postea intentatum foret, semper irritum  
redderetur. Nihil enim pietati præclusum, aut in-  
expugnabile. Igitur cum ætate procedente intelli-  
geret

D E B E L L O T V R.

geret se indies minus ac minus idoneum militiae la-  
boribus substituendis, filium suum Albertum con-  
tra illos misit, ut quod bellum per omnem subin-  
de uitam gesturus erat, iam tum paternis auspi-  
cijs ordiretur. Ipse uero supra quam, aut exprimi,  
aut comparari possit uoluptatem maximam, & qua-  
si fructum laborum periculorumque exhaustorum  
caperet, substituto sibi eo religionis defensore, qui  
esset uirtute, indole, ætate, ac cæteris omnibus,  
uel animi, uel corporis dotibus florentissimus. Ita-  
que Albertus, ut facile intelligi queat, quo animo  
& uoluntate sit erga Christianam professionem,  
nihil aut ab aui, aut genitoris, uel disciplina, uel  
instituto aberrans, mira celeritate progrediendi,  
incredibili omnium difficultatum tollerantia, sin-  
gulari ingenio remorandi fugientes hostes asse-  
quutus, tam ingenti clade affecit, quod cum cæso-  
rum numerus iniretur, facile credi posset nullum  
penitus superfluisse. Nec sane superfuit, præter im-  
bellem atque inermem turbam consectorum æta-  
te ac debilium, tum mulieræ ac pueroru, quos cum  
curribus & impedimentis se posuerant, ppe ad littus  
Pôti ultra Boristenê locis sterilibus omnino & pa-  
lustribus, nec solum exinde accessu difficilimis, sed  
ppter salubrî aquarî inopiâ, qua tota ea regio, ppe  
inhabitabilis iumentis atq; hominibus, preterquâ il-  
lis qui ibidem nati atque educati, iam inde ab ipso  
uitæ exordio, cœli terræq; & aquarum grauitati

Albertus Cæ  
simiri filius.

## ORATIO CALLI.

Egressus de  
meritis Polo  
mæ Regum  
religionem.

assueuere. Hic quod sine inuidia factum uelim, nō possum non ingemiscere, quod hæc Sancta eousq; uel intenta alijs, uel ab ijs auersa fuerit, ut tam maxima, tam illustria & peruulgata illius glorioſiſſimæ familiæ in religionem nostram merita, aut non animaduerterit, aut non paribus premijs afficerit, præſertimq; ut priora omittam ampliſſimam hanc Alberti uictoriā, que cum ab omnibus in cœlum uſq;, gratiſſima religiosarum mentium commemo ratione efferretur, expectabant, nō ſolum dico Poloni, uerum etiam circumuicinæ nationes, quo tandem genere premij, honoris, laudis, tam foelix Christianis rebus præliū a te afficeretur, cum eſſent omnium animi erecti ſupra communia & uſitata, et quiſq; ſibi præfiguraret inuenturum te inauditū aliquid et ſublime, nouo genere dignitatis, ſplendoris, amplitudinis, quo ſimul tam inſigne factum illuſtraretur, ſimul Albertus diuini paſtoris ceu ſtimulo ad reliqua obeūda incitaretur, aduersariorū uero animi ſubmitterentur, uidentes apud eos qui bus cum res gerenda, non ultimum premium eſſe uictoriā, ſed maius aliquid ac præclarius diuiniſq; & æternis rebus quam ſimilimū, propter quod homines non ſolum mortem in prælio non expauſerent, uerū etiam cuperent illam ultro et appeterent. Tu tamen id, quod uerisimile non eſſet & quifſimo omnium parente, non dicam diſſimulas adhuc, ſed nimis diu deliberas. Et dum tecum cogitas expeſtationē

I D E B E L L O T V R .

tionem omnium, gratissimo animo tuo digna aliqua  
significatione peruincere, mediocres tuæ uolunta-  
tis ostentansq; occasiones prætermittis. Quippe q;  
ad hanc usq; diem distuleris Alberti ipsius fratrem  
Fridericum, inter Ecclesiæ cardines designare, quod  
genus honoris sœpe aut egregiæ alius literaturæ,  
aut iuris scientiæ, aut priuatis unius meritis, aut ge-  
neris nobilitati seorsum condonat, que omnia simul  
sunt in Friderico, non dicam summa & singularia,  
sed partim usq; in miraculum excellētia, partim mo-  
dum ac uim humanæ amplitudinis supergressa.  
Nam cum ea in regione bonarum literarum ac legū  
mediocris etiam in Ciuali conditione cognitio, pro-  
pter raritatem in maxima sermonis ac laudum cele-  
britate uersetur, quanto honore prosequi, quanta  
admiratione suspici oportet eum, qui ex summo fœ-  
licitatis culmine, exq; ipsa humanarum opum arce  
ac fastigio, animum ad eiusmodi studia deflexerit,  
quæ ut genere ac natura sua fortunis omnibus præ-  
ferenda concedam, tamen uel hominum uel tempo-  
rum uicio prope inter postrema ubiq; & ab omni-  
bus expetuntur, a quo puulgato & communi erro-  
re Fredericus satis magnam laudem meruerat, si iu-  
uenilem animum abstinuisset. Verum naturæ bo-  
nitas singularis & incredibile ingenij acumen, quo  
ille maxime excellit, peruicere, ut non modo meliora  
cognosceret, sed cognita quoq; mirabili studio et  
constantia sequeretur. Itaq; breui ad eam diuinæ &

Fridericus  
Casimiri filius

## ORA TIO CALLI.

humani iuris scientiam, sola rei ipsius pulchritudine ductus peruenit, ad quam si quis e media plebe fructus cupiditate & questu tantummodo motus peruenisset, iampridē dignissimus haberi potuit, qui huic cœlestium cōsiliariorum collegio insereretur. Quod si literarum disciplina, & iuris cognitio, quarum alterutra in plebeio ac tenui homine satis esset ad hunc ordinem assequendū, in adeo illustri uiro parum sufficiunt, & merita maiorum requiruntur, quis unq̄ in toto orbe terrarū, aut fuit, aut esse potuit aliquādo, in quo ornando & effeſendo Sancta hęc sedes propensiōr esse debuerit: quādoquidem in uno multis pariter gratia referēda, auo scilicet Friderici, patruoq̄ & parēti ac fratri, quorum prior rem Christianam innumerabili multitudine adauxit, duo reliqui mira constantia & uirtute seruaere. Postremus incredibili animi magnitudine subſtinet ac defēdit. Ex quibus unūquodq̄ tanti est, ut nō una atq̄ altera dignitate compensandum, sed cūctis ſimul opibus atque honoribus, qui ab Christiano rei Capite ac Patrono proficiſci queunt, iure cumulandum uideatur. Iam uero nobilitas ob quā plāeriaq̄ ut puto ad exornandum sacrosanctum hoc collegium, Cardinalium numero ſunt adiecti, tantā in eo est, ut non ſolū ueſter hic confeſſus, ſed uniuersum q̄q̄ genus Christianū ab ipſo ſplendorē ac decus ſucepturū uideri queat. Nam cum ultimum qđ quidem ſciam nobilitatis fastigium noſtris temporis

## DE BELLO T V R.

poribus fuerit, a Rege esse procreatum, Fridericus multis gradibus supra euectus est. Quippe quod non solū patre sed auo etiam & patruo ac fratre Regibus illustrissimus. Quibus accedit etiā nobilitas matri, quæ & ipsa Regis filia, Regis soror, Regis mater, Regis cōiunx. Hoc ultimo gradu Beronicen supergressa, cui natalium illustrium foelicitatem totam contigisse credidere. Huic itaq; tantæ ac tot maximorū Regum splēdore undique circumfulgenti nobilitati, non video quæ demum claritas inter humana comparari possit, ex qua maius aut certe par lumen atque ornamētum cōetuī uestro videatur ac cessurum. Sed dabunt posthac causæ multæ ac tempora de hts dicendi atq; audiēdi plura. Nunc quod institueram prosequar aperire, neminem omnino esse, cui Rex Poloniæ non sit præferendus studio ac uolūtate rei & nominis Christiani cōseruandi atq; augendi. Quod licet satis plane intelligi potuerit ex ijs, quæ aduersus Tartaros geri & gesta esse commemorauī, licet tamen aliorum q̄q; breuem mentionē afferre, que in eundem finem pie ac religiose ab eo facta sunt, uel permissa, quibus cognitis, nemo dubitare poterit, bellum cum Tartaris geri a Polono, non studio tuendi sua, sed uoluntate religionis conseruandæ. Nam cum nulla fere actio sit, quæ ex toto careat ociosorum maligna interpretatio ne, video esse aliquem posse, qui publicam Christianorum omnium defensionem, quam ille ultro

Elizabeth re gina Poloniae

Prosequitur  
de uoluntate  
Poloni.

Contraria  
gnorū inter pretationes.

## ORATIO CALLI.

præstat, transferre conetur in necessitatē arcendi ab  
rebus suis, infestissime latrocinium gentis, quod ut  
ita foret bene, instituti tamen animi esset nō extenu-  
are beneficiū, neq; exigere, ut alteri profuturus, nul-  
lum interim sui respectum habeat, sed potius gratiā  
referre, ut fluminibus, ursoli, ut lunæ, & ceteris eius  
modi, quæ dum naturam & cursum suum a quo de-  
finere non possunt exequuntur, mouenturq; in ali-  
ud, nobis etiam prosunt. Sed nō propterea q; Polo-  
nus, bellum per quod religio conseruatur, nolle ge-  
rere non posse videatur, ideo & minus uult. Cum  
enim suscepit id, quod nunquam deponi posse in-  
telligebat perseverare instituit. Itaq; nō ex eo quod  
nunc agit, sed ex illo primo consilio & voluntate ar-  
bitror percensemendum. Nec qua necessitate nunc pu-  
gnet, sed qua mente & cogitatione bellum suscep-  
rit existimandum. Et cum religio ad id eum pellexe-  
rit, minime inuidere oportet, quod dum nos defen-  
dit se quoq; & sua tueatur. Hucadde adiacentiū alia  
rum regionum securitatē ac pacem cum eodem ho-  
ste, quæ uel sola satis ad probandum, Polonus q;q  
in simili quiete agitare posse, ac nō nisi religionis ar-  
dore inflammatis animis, ultro pro illius salute atq;  
amplitudine depugnare. Cuius rei etiam, ut a malis  
gris interpretibus dubitatio aliqua excitari potuer-  
it, nōne et tota et funditus paulo ante extirpata est,  
cum Rex Poloniæ bello de quo iam dudū loquor  
haud intermissò non modo pecunias, simul & gen-  
tes

## DE B E L L O T V R.

tes, nec semel, nec exiguo numero submiserit in expeditiones alias, reliquorum Christianorum auspicis ductas contra Turcos, uerum etiam uacatiōem dederit a domesticorum bellorum muneribus, ac sponte indulserit, ut sine fraude esset suis omnibus qui cruce signati Christiano nomini militassent, qđ nullo modo oportuit, si aliud quippiam quam religionis columē, pugnādi aduersus Turcos, causam luggereret. Quid enim pertinere ad se Polonus putuisset ea quæ ab alijs cum Turco agerentur, si nō nisi pro se sollicitus foret, aut qua ratiōe de uiribus suis & facultatibus domestico periculo propulsando detraxisset, si nō uelutante dicebā, ab initio susceptæ professionis nostræ, gens illa in animum induxisset, se ubiqz ac pro omnibus Christianæ rei hostibus opponere. Sed nimis multa de Polonorū uoluntate, quam Christiana re defendenda propensissimam esse cum docuerim, superest ostendi potentiam quoqz ipsorum, aut illam equare, aut etiam antennellere, cuius rei ualidissima fundamēta uideo constituta inter differendum de Tartaris. Nam si egregium quippiam ac magnum putatur, uel substinerre, uel oppugnare Turcos, genus hominum ab initio mercenarium & translaticiū ex Asia, dubijs originibus, paucis armis, et nulla militari disciplina, q̄ immensa intelligi deberet potentia, qua cohibentur, ac ueluti repagulis quibusdā inter suos fines induuntur Tartari, qui in Sarmatiā et Scythiam uni-

De potentia  
Polonorū ad  
tuendam re-  
ligionem.

Turci ex-  
rum progres-  
sus.

K

## ORATIO CALLI.

uersam nō aduenticij, nec claritatem generis ab alia  
quapiam natione repetentes, sed indigens, ac de ori-  
ginum uetus state cum ipso rerum exordio decertan-  
tes, multitudine uero ac gloria bellorum quicquid  
reliqui in toto est orbe humani generis superates,  
multis populis ac nationibus omni genere memo-  
rabilium gestorū domi forisq; insignibus, quod ab  
*Scybarū cō  
mendatio.*  
ipsis quasi ex quodam pugnacissimarum gentium  
seminario ortae ac profectæ dignitati simul & gloriæ  
fuere. Rebus autem bellicis eousq; semper ualueret,  
ut cum Martem apud se natū profiteantur, alię om-  
nes ubiq; gentes facile credat. Sed cum uideam uos  
non sine quadam uoluptate audientes hæc cogni-  
tioni nostræ propter locorum distantiam non fa-  
miliarissima, consensus uester simul & ratio Polo-  
nicæ magnitudinis apertius declarandæ facit utili-  
eet oppugnandis Turcis satis uideri queant, uiresq;  
Tartarum multitudine ac robore hominum, tum  
audacia & celeritate aggrediendi res & conficiendi,  
præterea laborum necessitatumque omnium pati-  
entia maximo interallo illos antecedentem, substi-  
nuere semper ac substinent, tamen recensenda eti-  
am putem alia ex quibus id quod institui locupleti-  
*Hungaroru te  
fluviorum.*  
us comprobetur. Itaque o brmissis Tartaris, præter-  
ea quod milite & pecunia Christianam rem contra  
Turcos sepe Polonus iuuerit, in qua re uel sola ma-  
ximarum facultatum ineſt argumentum, libet in-  
terrogare, quo tandem amplitudinis gradu cen-  
sendum

## DE BELLO T V R.

sendam arbitremini eam potentiam , quam ut pau  
lo ante dicebam , Rege Alberto mortuo , cum non  
solum a Turcis , uerum etiam a Boemis atque Au  
stralibus in orbitate sua oppugnaretur , inclytum  
Hungariæ regnum , preter omnes idoneam ac di  
gnissimam censuit cui salutem suam libertatemq;  
committeret . Quod quidem iudicium debet apud  
uos omnino esse grauissimum , quando Hungari  
propter tot bella , quibus undique circumsepti in  
ultimo discrimine rerum suarum ac nominis consti  
tuti minime uideri queunt , aut temere , aut per cu  
piditatem aliquam , implorasse illos quorum domi  
atque foris facultates omnes propter uicinitatem  
minime ignorarent . Idem quoq; licet de Prutenis  
& dicere & credere . Nam cum Teutoni sub Título  
beatæ virginis religiosam militiam professi iam pri  
dem eum regni Poloniæ tractum , quem ad sinum  
Codanum Sarmaticumq; Oceanū , Prussiam ac Po  
meriam uocant , Polono in honore fidei nostræ , cu  
ius illi defensionē præ se ferebāt , nō aduersante possi  
derēt , atq; ubi quibus cum pugnare consueuerant  
Litifani , cū rege suo Vladislao Christiāis sacris sunt  
initiati , coepissent q; securius , eo libentius inter suos  
agitare , Pruteni eorū cupiditatibus offensi , ad Polo  
norū opes configere , quas nullo mō implorassent ,  
nisi tatas esse intellexissent , ut eos nō solū ab iniusto  
paucorū Teutonrū dominatu uendicare possent , ue  
rūtiā contra uniuersam Germaniā facile tueri .

Prutenorum  
testimonium  
de po. Polon  
orum.

ORATIO CALLI.

Militia Teue  
tonicorum in  
Prussia. Est enim religiosa ea militia confugium nobilium om-  
nium Germanorum, quorum fortunas casus aliquis  
domi attruerit: Eamque ob rem non ignorabant Pru-  
teni fore, ut tanquam ad communem iacturam ex to-  
ta Germania accurreretur, & res bello repeteretur,  
quod cum contigisset, quia inter Christifideles di-  
micatum libentissime praetereo, quanta suorum da-  
de Germani inuictissimum Poloniae robur sunt ex-  
pertis: Vos nihilominus, & si ea que sine summodo  
lore propter Christiani sanguinis effusionem nar-  
rari non possant, praetermitto, ex his quae comme-  
moraui, facile intelligitis immensam quandam atque  
incredibilem esse potentiam, quae tot simul bellico-  
sissimarum gentium conatus fregerit semper ac re-  
tuderit. Huc adde a Moscouiensibus Ducibus im-  
ploratum a Polono paulo ante contra fraternalis in-  
iurias patrocinium, in qua re arma expedienda non  
fuere. Dux enim ille, quamuis audax & confidens,  
opumque alioquin atque hominum multitudine Bar-  
barice elatus, cessit authoritati regie, & quo nullum  
potest esse, aut maius, aut certius rei ac maiestatis  
Polonicae documentum ultro fratribus priusque ad-  
moneretur satisfecit. Sed ut contendi queat ualuisse  
in iis, quae commemorata sunt, aut locorum opor-  
tunitates, aut hominum necessitatem magisque eorum,  
a quibus res Polona implorata, uel iudicium, uel uo-  
luntatem, id quod mox dicturus sum, certe neque auer-  
ti a malignis, neque attenuari ab inuidis, necno maxi-  
me ab

Moscouienti-  
um testimoni-  
um de po. Po-  
lonorum.

Polonorum  
potentia exre-  
bus gestis.

D E B E L L O T V R .

me ab hostibus formidari potest. Ulro enim ac libera animi uoluntate suscepsum, incredibili copia rum atq; opum ui inchoatū, summa deniq; animorumq; & corporum alacritate ac robore pfectum est, quod ignorare uos non sinunt multorum irriti contra eos conatus. Boëmorum regnum spacio terre non amplissimum, sed situ, armis, uiris, equis, disciplina militari, eousq; partim natura munitum, partim arte ac diligentia instructum, ut prope Centesimum annum iam libertatem iuraq; & ritus suos facile aduersus omnem fere reliquam Christianam uim ueatur. Hungaria uero cui foeliori sorte non huic Sanctæ sedi aduersari, sed pro ipsius authoritate atq; amplitudine cōtra Turcos pugnare obtigit, ut est spacio sior multo, ita etiam omnium facultatū genere ac rebus gestis insignior. Cōtra hęc duo tam opulenta regna, tamque omni humana ope atque ornamento florentissima, ut alteruna iamdudum pené ab omnibus fidelibus, alterum ab infidelibus facile se defendat, Rex Poloniæ paulo ante arma mouens, eodem tempore filium unum in Boëmiam, aliud uero milit in Hungariam, tantis cum copijs, tamq; omni arte ac facultate bellica instructis atque ornatis, ut Boëmia quidem, quæ saepe antea Christianorum aliorum omnium conatus retuderat, unus tunc impetum Reguli non ferens, se simul & sua cuncta humana & diuina illi subito tradiderit, Hungari uero siue in honorem fidei nostre, quam tuer-

Boëmiae

Hungariae

K ij

## ORATIO CALLI.

tur, siue propter uicinitatem & foedera quibus fu-  
ere semper cum Polono coniuncti, peruicere, ut a  
Buda ipsa regni capite, quo iam Regulus alius pro-  
cesserat retro ad parentem reuerteretur. Maxima hec  
omnino & incredibilem quandam, opum, virium  
facultatum, amplitudinem pre se ferentia, non tamē  
maiora quam polliceri queat. Immensum & prope  
infinitum spaciū, per quod eisdem, quasi quibus  
orbis terræ partes, finibus circundatum Poloniæ  
regnum inter Boristhenem Istrumq; & Oderam  
ab Euxini maris littore ad Sarmaticum Oceanum  
porrigitur, intra quos non tam eius regni, quam pe-  
ne humanae naturee terminos, id quod rebus in bel-  
lo gerendis nihil est efficacius unica, sed copiosissi-  
ma. Et terrarū tanto spacio equalis gens est et natio,  
non morib. non lingua, non institutis uaria, sed omnium  
diuinarū humanarūq; cōsensu, simul & iure so-  
ciata, cuius si studia, si uolūtates, si deniq; ceu cōspi-  
rationē quandam in omnibus agitandi rationibus  
spectes uerius domū unam & familiā, q; nationē di-  
xeris, si uero multitudinē intuearis, non regni unius  
incolas, sed totius orbis terre populū esse arbitreris.  
Equorum atq; armorumq; co-  
pia in Polo:  
Divitiae reg-  
ni Polonie.

Poloniæ reg-  
ni spaciū ad  
potentiam.

Multitudo et  
cōcordia Po-  
lonorum ad  
pe-

*Suicler  
nim  
ammendata*

Equorum ar-  
morumq; co-  
pia in Polo:

Divitiae reg-  
ni Polonie.

rite

# DE BELLO TVR.

rite existimauerit, cum non ut alij quibusdam in re gionibus, aurum atq; argentum sub terram prope ex ipsis inferorū penetratibus modice ac laboriosis, sime eruatur, sed manibus illuc importet ab Anglis, Scotis, Dacis, Suetijs, Britonibus, Phrisis, totocq; eo nationū tractu, quem a Gadibus ad sinum Codanum flexibusq; & nominibns multiplex abluit Oce anus. Ut enim arbitror uos minime ignorare, est illis in regionibus alibi, ut in Hollandia & Flandria linea ac lanæ uestis tam frequens artificium, Alibi, ut in utraq; Hispania uini atq; olei, alibi, ut in Anglia & Scotia lanarum & pecoris tanta ubertas & copia, ut inde in multas prouincias res eiusmodi deferantur. Tritici autem & frugum cæterarum nullibi modus pro indigenarum multitudine sufficiens. Itaque eum omnes populi ac gentes alimentorum supplementa non aliunde se re quam ex Poloniæ regno accipiant, nec alimenta solum, sed ligna etiam & picem, cæteraque opportuna fabricandis nauibus, quibus fruges exportantur, præterea colores lanis ac pantis infidis, tumetiā mel & ceram, & quibus omnis Septentrio abundat, ferarū pelles, genere, colore, usu differentes, uestimentis simul ornandis, simul aduersus frigora et tempestates muniēdis, dubitari nō potest tam infinitam pecunię uim illuc importari & remanere quam infinita est multitudo rerū, quibus tot populosissimæ regiones, alendæ sunt simul

Angli.  
Scoti.  
Daci.  
Suetijs.  
Brittones.  
Phrisi.  
Gades.  
Sinus Codanus.  
Hollandia.  
Flandria.  
Hispania.  
Anglia.  
Scotia.

poloniæ bagaz⁹

## ORATIO CALLI.

Epilogus de  
potestate Polo-  
norum.

De facilitate  
rei confiden-  
tiae.

& ornandę. Atq; ideo quando uires & potentia re-  
gionum colligi soleat ex rebus gestis, ex amplitudi-  
ne ac spacio terræ, ex multitudine armorū atq; equo-  
rum, deniq; ex diuītijs, omniumq; harū rerum de-  
monstratum sit, Poloniā splendore, magnitudie,  
copia, ui, maxime eminere, nimirū fateamur oportē-  
re regni illius potentiam in primis dignissimā esse,  
in cuius amplitudine ac robore restituendae in inte-  
grum, religionis nostrę spes omnis collocetur. Sed  
quoniam fieri potest, ut quantumuis maximę facul-  
tates inefficaces sint ad expedientum id quod insti-  
tueris, propter aliquam, uel a natura, uel a casu inie-  
ctam difficultatē, quandoquidē planum fecimus,  
in unico Poloniæ regno satis superq; opis esse Chri-  
stiano nomini, quod postremo facturū me propo-  
sui, iam nunc dicam de conficiendae rei facilitate, ut  
oratio mea finem aliquando accipiat, & tu non solū  
quia possis professiōis nostræ hostes exterminare,  
sed etiam quia facile posse uideas, ad tantum tamq;  
immortale decus consequendum mentem tuam si-  
mul & actiones conuertas, intelligo sane nihil esse  
quod quidem magis inuitare ad agendum possit, q  
facilitas perficiendi. Atq; ideo partem hanc, uel ac-  
curatissime tractandam fuisse. Verum quia in his,  
quæ hactenus dixi, multa explicata sunt de rei Chri-  
stianæ, simul et Turcicę ui, magnitudine, copijs, de  
armorū genere, de opibus, de bellandi ratiōe ac  
disciplina, simile et de rebus gestis, ex quibus oibus  
facilitas

# DE B E L L O T V R .

facilitas ipsa delendi execrandam superstitionem se  
diram gentem, de qua loquimur, non obscure collig  
i potuit. Præterea quia unius alicuius, aut Regis,  
aut liberi ciuitatis opibus melius, quam universo  
rum Christianorum conatu id effici posse iam dixi,  
in eaq; facultate Poloniæ regnum maxime eminere,  
propter ea quod maximum sit et populosissimum,  
abundetq; rebus omnibus quibus bella conficiun  
tur, multo ero in hac ultima parte brevior quam fu  
eram prioribus explicandis, totamq; hanc etiam fa  
cilitatis rationem pendere a Polonis demonstrabo.  
Præter illa enim ex quibus modo dicebam, facilimū  
ut pauciores a plurimis vincantur, seminudi ab ar  
matis, egentes omni bellico apparatu ab instructis  
simis, præterea ignari militarium artium, a peritis,  
et qui admodum exigua rerum gestarum fiducia in  
aciem prodirent, ab illis qui omnium uictoriarem  
genere maxime florarent, tria sunt quibus facile co  
ficiendorum bellorum tota ratio continetur, propin  
quitas locorum quæ oppugnanda, accessus nō im  
peditus, necessariorum facilis suppeditatio, ut ui  
ribus integerrimis progredi, ut cito pueniri, ut co  
mode perseverari possit. Quæcum ita sint, quis est  
tandem inter omnes Christianis sacris iniciatos, uel  
propinquitate ad rem gerendam contra Turcos,  
uel facilitate accedendi, uel commoditate suppedita  
tandi sibi extrahendis bellis oportuna, qui sit cum  
Polono conferendus. Licet enim multisunt terrar<sup>z</sup>

Subdiuisione.

Prima pars  
subdiuisionis  
de propinqu  
itate qua Po  
loni Turcis  
coniunguntur

L

## ORATIO CALLI.

quas Tircus occupat finibus adiacenter, nemo tamen cōiunctor existimari debet, quam cū expeditissimum sit imperij illius nō margines, & uelut remotissima membra, sed caput ipsum statim vitalia aggredi & cōuulnerare. Ut enim plane percipiatis, quid inter Polonum atq; alijs Turcis finitimos intersit, reliquis omnibus, magna pars temporis bello utilis, absuenda aut mari, aut uastissimis solitudinibus emetiēdis, priusq;nam perueniant ad loca, in quibus res gerēda. Polonus uero sic Turcorum terris est coniunctus ut simul ac fines suos transcederit, in promptu habeat seu ditissimum gentis illius emporiū Adrianopolim, seu imperij caput Constantiopolim malit oppugnare. Superato enim ad Silistriam Danubio, quo usque Poloniæ regnum extenditur, si ad Orientem conuertat agmen, decem dierum spacio ad Thracium Bosphorus perueniet. Si uero meridiē uersus progrediat, biduo minus attinget Andrinopolim. Atq; ut nō solū breue, sed nulla etiam montium, syluarum, fluminum difficultate impeditur iter intelligatur, ad Danubium usque duo tantummodo nauigabilia flumina superanda, Tiras & Sarectus. Ille Podoliā inter & Valachiam influit Euxinum. Hic uero per medium fere Valachiam labitur in Danubium, sed uterque in potestate est Poloni, materiaque abūde suppetit ubiq; seu pontes, seu naues fabricare instituerit. Cæterum nullus usquam saltus, nulla palus, nullæ

Secunda pars  
subductionis  
de facilitate  
accendi.

Tiras.  
Sarectus.

## DE BELLO T V R.

nullæ rupes, quibus properantis exercitus nedium  
militaris gradus, sed ne quidem ualeat remora-  
ri. Post Danubium, primis castris Hemus tantum  
modo transcendendus, per eum locum, quem in-  
colæ Bolcanū uocant. Duplex est iugum, sed utri-  
usq; ascensus & descensus haud sane p[ro]difficilis. Via  
uero tam lata, ut geminos simul currus ubiq[ue] fa-  
cile accipiat. Inde campi collesque frugiferis arbo-  
ribus ac uinetis consiti Tessaliā uersus. Nam Thra-  
cia horridior paulo, et ut frugibus ubique infœcun-  
dior, ita pecoribus abundantior. Ad quam uiæ fa-  
cilitatem accedit, quod eundum est per gentes, non  
dicam minime infestas, sed quia Religionem no-  
stram profitentur, fauentes Christianis rebus. Po-  
lono autem nō solum ex uicinitate cognitas, & ami-  
cas, sed etiam propter linguam atque originum co-  
gnationem quodammodo consanguineas. Num-  
erosissima enim ad Septentrionalem Oceanum, &  
plagam frigoribus damnatam, natio, quā, id quod  
pl[er]ique uestrum non ignoratis ab initio quidam  
Venedes, nonnulli Antes, plures Sclauos nomina  
uere, paulatim coeli terræq[ue] clementiā secuta in Au-  
strum ad interiora Sarmatiæ prius Roxolanis se im-  
miscuit, cū quibus postea corrupto uocabulo Ru-  
teni sūt appellati. Inde prospere cū migratio prima  
successisset, erectis animis ad felicia in leuam de-  
xtramque se effudit, et illinc quidem ad Euxi-  
num usque Podoliam Russiamque Albam, hinc

Hemus.

Excessus de  
origine Polo  
norum, gena-  
tiuumq[ue] aliarū  
eiusdē ligue.

Ruteni.

Podolia.  
Russia alba.

## ORA TIO CALI.

Mazouia.

Polonia.

Boēmia.

Bulgaria.

Rascia.

Bossina.

Seruia.

Croacia.

Sclauonia.

Valachia.

Duo sunt qui

bus distamus

a beluis.

uero utramq; ripam Istulæ Mazouiæq; ac reliquas  
Polonici simul & Boēmici regni terras, multitudi-  
ne sua impleuit, & mox transgressa Danubium, nō  
unius atq; alterius urbis, sed pro rerum, temporū,  
fortune eopportunitate, mō armatos, modo inermes  
magnarum regionum populos, uelut in colonias  
mittens, Bulgaria, Rasciam, Bossinam, Seruiam,  
Croaciam, Sclauoniā, cum occupasset, propagan-  
di sui nō ante finem fecit, quam ad sinum peruenit  
Adriaticum, ibi tanquam Septentrionia quo pro-  
fecta erat aduersum orbis terrarum marginem atti-  
gisset, & natura se ne progredi iam posset oppone-  
ret, ultra se diffundendi modū sibi constituit. Ma-  
ximus omnino ac uix animo metiendus terrarum  
tractus, inter humanæ naturæ Septentrionalem ter-  
minum ac sinum Adriaticum. Sed utruncq; immen-  
sus uel infinitus potius eadē ubiq; lingua & præter  
Romanorum Coloniam Valachiam, gētes omnes  
eadem primordia profitentes. Hic iam & si nihil di-  
cerem, tamen animis & cogitationibus uestris sub-  
iret, quid ad bene gerendæ rei facilitatem intersit in-  
ter eos, a quibus omnia per interpretem expedien-  
da, & illos qui per se mutuo colloqui, hortari, percí-  
pere, rogare, pacifici ualeant. Cum enim duo sint,  
quibus & distamus a beluis, & uis omnis humanæ  
societatis continetur, ratio scilicet ac sermo, & illa  
quidem sine hoc hominibus frustra concessa uideri  
queat, nam quid attineret quantumcunq; sapien-  
tissime

DE BELLO TUR.

tissime cogitare, discurrere, prouidere, si non esset sermo qui rationis inuenta enunciaret. Ea demum natio quæ gerendis rebus non solum inuenit oportuna, sed etiā statim eloqui possit, in primis idonea iudicanda, cui actiōis de qua loquimur summa cōmittatur. Huc adde quod aiunt, sapientem debere omnia prius experiri, quam arma. Quod si ita est, & si nedum bellum, sed nec nomen quidem belli sine armis esse nequeat, plura tamen omnino sunt q̄ lingua quam quæ manu illic geri oporteat. In qua facultate quis tandem est alius, quam Polonus qui effusius iactare se possit. Nam qui Turci communī appellatione dicuntur, gentis suæ uelati corpus, ex triplici hominū genere effecere, ex captiuis, ex trans fugis, ex indigenis, & n̄ quidem adeo pauci sunt numero, ut præ multititudine duorum priorum generum uix esse intelligantur. Ceterum transfugæ captiuiꝝ, quos seruos uocant, omnes fere ex gentibus quas modo dicebam linguam atq; originē cum Polonis habere communem. Ex quibus plane cōstat, ut nihil fere nisi quod beluarum est, viribus, ab alia quapiam natione geri contra Turcos potest, ita omnia Polono esse expeditissima dicerem. Nūc ut proposui quam facilis sit illi annoq; ac reliquorum que ad bellum faciunt suppeditatio, si aliunde quam a Domo ea petenda essent & submittenda, sed cum demonstrauerim paulo ante frugum ubertatē, qua regnum Poloniæ occidentalem fere omnē plagam

Turci.

C &  
Captiui  
Transfugis  
Indigenis  
Turci  
d' ponti

Tertia subdi-  
uisionis pars  
de suppedita-  
tione necessa-  
riorum.

L iii

## ORATIO CALTI,

Cohortatio  
ad rem gerendam.

enutrit, præterea planū fecerim, uelut imperij Turcici non fines extremos, sed interiora, & quasi centrum attingit, nullis interiectis, aut maris, aut terræ difficultatibus, non uideo quare sit mihi in hac commorandu, quandoquidem ex prædictis iam pridem intelligitis, & abunde ea Polono esse, quæ usus belli expostulat, & qua subuehenda sunt, uiam non solum breuem, sed omni etiam impedimentoo absolutissimam. Atque ideo dicendi finem faciens, per Amplitudinem tuam; qua prope ad diuinum numen accedis, tum etiam per salutē populi, quem Deus beatitudinis suæ socium esse uoluit, præterea per incolumitatē Religionis cuius p[ro]fessio[n]e a bruis distinguimur, cœlestibusq[ue] & æternis rebus admonemur, te rogo atq[ue] obtestor, ut a pulga ta cōmissi tibi munera administratiōe animū cogitationesq[ue] tuos uendices, & quātus sis, & quam sacer & in quo diuinarū humanarumq[ue] rerū culmine locatus reputans, immense ac Sacrosancte magnitudinis tuę equales spiritus cōcipias, atq[ue] ut immortalis Dei Vicaria potestate Christianā Rempublicā regas, ita ad illius laudes factorū tuorū aliqua imitatio ne uelut accedas, reducēdoq[ue] & cōseruando in uiā gratig eam gētem, quā ipse unigeniti filij sui precio, ab æternæ damnatiōis culpa liberavit. Tulerint q[ui] ante te fuere Pont. Max. cōmendationē, aut retentis, aut constitutis legibus, quibus adiri administrarique sacerdotia, tum sacrificia, propitiationsque ac diui-

## DE B E L L O T V R .

ac diuini cultus, ceremonias et ritus obire & seruare  
oporteat, celebreturq; ipsorum nomen titulis mag-  
narum quidem uirtutum, sed tamen que in multis, & pos-  
sint & soleant elucere, tu supra haec usitata & com-  
munia quae sine admiratione propter frequentiam au-  
diunt elatus, sublimiori quodam diuinisq; operibus  
similimo conatu, pericitas iampridem ac plane pe-  
riens Christianum nomine, non hois, sed saluatoris no-  
stris emula laude restituuisse et cōseruasse memoreris.  
Declaravi effusius etiam q; p diuini ingenij tui acumi-  
ne oportuit satis superq; virum fuisse semper ad id de-  
cuss nanciscendū. Sed eos q; paulo ante te hoc in fasti-  
gio maiestatis suspici cōtigit, plusq; p modo belli &  
conatos esse & timuisse, ex eoc p a uera benegerende  
rei ratione aberrasse. Præterea minime esse laboran-  
dū in Christianore oīm concordia, qd difficultis, qd  
intractabilis, quod supuacua. Unius namq; uel Re-  
gis uel liberae ciuitatis opes abunde sufficere aduer-  
sus eos hostes, quoq; paucitas contēnenda, discipli-  
na militaris nulla, arma ridicula, diuitiæ modice, res-  
geste ex p̄fidia. Postremo eas esse Christianas facul-  
tates, ut quantūcūq; uolueris facilime possis & cōsi-  
cere. Ex qbus nō solū intelligere, sed & plane fateri  
oportet expeditissimum tibi esse ad uictoriam iter.  
Nec præterea que cōsiderata iacet, quicq; inter huma-  
na inueniri quod animū tuum excellum & magnifi-  
cum, aut possit, aut debeat reuocare, a tam subli-  
mi culmine laudis, honoris, gloriæ consequendo.

Epilogus ge-  
neralis.

ORATIO CALLI:

presertimq; dum hostis distractus & bello Syriaco  
implicitus & afflictus, nēdū conatibus tuis resisten-  
di, sed nē respirandi quidē ab ingentibus cladibus  
illic passis habet facultatē. Aderūt eo in conatu tibi  
alij pleriq; q̄s Christiane rei iactura sollicitos habet,  
sed in primis Poloniæ Rex inuictissimus, cuius ut  
dixi populi ab ipsis cunabulis tuenda religione no-  
stra erudiuntur, nec quicquam in omni uitæ cursu,  
aut frequentius agunt, aut p̄tinacius, quam ut insul-  
tent infidelibus. Habebis itaq; militē, cui genus id  
belli non solum sit cognitum, sed etiam familiare.  
Præterea qui hostem expropinquo subito inuade-  
re. Propterea uero quod abūdat omnibus quibus  
& geritur bellum, & extrahitūr accerrime, ac perse-  
ueranter oppugnare possit ac uelit. Ad extrellum  
cūgētes, inter quas decertandum, primordiorum  
cognitione cōiunctæ, eamq; b̄b rem simulq; quod  
Christianis sacris iniciatæ, uinci cupientes, ac mini-  
me pertinacissime repugnaturæ. Et quoniam non  
pauciora consilio quam uiribus transigenda erunt,  
cum milite et regni illius consiliarij presto, cum alijs  
generibus omnibus deliberationū prudentissimi,  
tum in eius belli ratione maxime exercitati, in pri-  
mis Petrus de Buyno, Episcopus Vladislauensis,  
cuius ingenij acumen, grauitas, constantia, magni-  
tudo, præterea uitæ ac morū sanctimonia humanū  
modum supergressa iam pridem meruere, ut a cura  
illus uelut anguli Christianæ rei transferret in hāc  
Religionis

DE BELLO T V R.

Religionis nostræ, Sacrosanctam arcem, ex qua in electorum populo, non corporis unius, sed totius multitudinis saluti intenderet ac prospiceret. Quæ cum ita sint, dubitare non debes, sed neq; potes, eū Deo Opt. Max. bene iuuante triumphum te consequeturum, quo supra omnē humanam laudem, decus, amplitudinem, augustus & Sanctus, uiuus ad huc & sentiens habearis. Populus autem Christi, ac nomē, uelut rigidissimā hyeme depulsa ubiq; in terris floreat. Cœlum deniq; ipsum ineffabili ter gaudio impleatur, non una atque altera inuenta oue, sed innumerabilibus, infinitis, que a recto beatitudinis nostræ itinere uel abducte fuerat uel aberrant.



M

MAGNIFICO PA-  
TRICIO ET SAPIENTIS  
simo Senatori Veneto, M. Anto-  
nio Mauroceno, Matthias  
Dreuetius Regis Al-  
berti Secretarius  
Salutem.



EFVNCTOPAVLO  
ante Casimiro Rege nostro, cū  
quinq; ipsius filij superessent, ha-  
bereturq; cōsultatio de creando  
successore, minime ab initio idē  
consilium omnibus fuit. Quidā  
enīq; naturae ius atq; ordinem se-  
quendū arbitrantes, ad primo  
genitum se conuerterant. Non  
nulli uirtutem ac merita, quā ma-  
gis nascendi sōlicitatem intuen-  
tes, Albertum malebant, quod  
iam tum bis régnum a Tartari seruasset, nec solū indole, sed ma-  
gnis etiam ac præclaris rebus gestis eminuerit. Alij uero quāplu-  
res suadebant, non quod ex causa aliqua regnaturo deberetur ex-  
pendi, sed quid regno & ijs qui parituri essent, expediret, eumq;  
deligendum potissime, sub quo uideretur commodius agitaturi.  
Sed, ut decuit, ad extreum alij quibuscūq; rationibus præpon-  
derauit reverentia uirtutis, simul & gratia meritorum, pariq; om-  
nium consensu in fastigium paternæ fortunæ Albertum exulere.  
His paucos post dies consilia, ut sit, suorum exquirens, de sōdere  
cum Turcis renouando, misit me ad Petrum de Buyno, Episco-  
pum Vladislauieñ. cuius fidem & potentiam in consulendo, pa-  
ternis rebus semper magno usui fuisse sciebat. Ad se uero Regem  
declarandum studium simul & momentum maximum attulisse.  
Profectus igitur ad illum in Cuiaviam, cum offendissim legente  
in historijs, quas Vincentius de rebus Polonorum edidit, ubi sen-  
tentiam suam protulit de his, quę regis nomine proponuerā. Con-  
syderabam, inquit, mecum interlegendum, modo non temere cu-  
iuslibet esse historiam conscribere, nec sine summa ratione, apud  
antiq;

## E P I S T O L A.

antiqs id munus ab honestis uiris, eisdemqe sapientibus, multumqe  
& diu in Repub. uersatis usurpari consuetum. Sciebant em acuta  
quidem & solertia ingenia, in quac fortunae sorte procreari so-  
lere, magna uero & capacia omnium, quae aut Republicas, autre-  
gna constituunt, augent, ornant, substatinent, oriri no posse, nisi ex  
natalium amplitudine, que par foret scribendorum maiestati. Ad  
cognitionem autem, & iudicium eorum, quae uel utiliter, uel honeste,  
aut contra in Repub. administratur, non adeo inter Scholasticos,  
ex Philosophorum prescriptis, quam ex usu gerendis rebus perue-  
niri. Quae ita esse uidi ex Vincentio. Nam licet ingenua, quia ta-  
men tenui in familia simul natus, simul educatus, supra commu-  
nia & usitata cogitationes atqe animum minime attollere potuit,  
eamqe ob rem minuta quaec, ac propemodu sordida, consecuta.  
Si qua uero uel modice excellit, ea qubus assueuit, promagnificis scri-  
bendo, ducit, miraturqe, ac narrat diligenter. Ab illis autem, quae  
suntui & natura sua uere maxima & memorabilita, eosqe uelut  
obruiuit propter insolentiam, ut neqe ingenio capere, neqe orati-  
one substinet illa possit. Ex quo euenit ut narratio alibi, ut cali-  
gans, statim circa initium habereat, alibi ut conca progrediendo offen-  
dat, nonnullis etiam in locis tanquam uicta succumbat. Et quo-  
niam non in Senatu magis cum ciuibus, ex usu rerum & tempo-  
ris, sed domi cum bellis, quasi ex formula de prudentiae, ceterarumqe  
virtutum artibus, disceptrare consuevit, deliberauiones aut nullas,  
aut ineptas inserit, & in reddendis agendorum rationibus, & car-  
sis, plerunque inanis, interdum alienus, saepe etiam contrarius inue-  
nitur. Ad conciones demum, quarum efficacia fere omnis duci-  
solet ex precedentibus dictis factisqe, ut qui eorum neqe experime  
tum habet, neqe noticiam, nulla preaparatione aut memoria prea-  
teriorum accedit, nullam ex argumentis quasi vim, nullam ex sen-  
tentijs approbationem adhibet. Atqe ideo neqe attentione legen-  
ti, neqe sensum elicit, facetqe non exanguis tantum, uerum etiam  
exanimis totus ille uigor & cursus rerum atqe orationis, a quo hi  
storie uehementiam quandam, & uelut spiritum accipiunt, terren-  
do, cohortando, miserando, indignando. Quam partem bonau-  
thores accuratissime tractauerunt, utpote sine qua Ciuitatum, &  
populorum mores, consuetudines, instituta, tum separatim cuiuscumqe  
natura, affectiones, studia, neqe colligi, neqe de core ostendi potun  
sent. Quod si nil plus, quem intelligi queat ex Vincentio, in maio-  
ribus nostris finit, seu prudentiae in consiliis, seu constantiae in peri-  
culis, aut firmitatis in laboribus, aut industriae in aggrediebris reb.

## E P I S T O L A.

& gerendis, nec melioribus quam ille narret, uel artibus, uel institutis regnum simul & nomen suum propagauere, pudet p̄ḡt̄q̄ me nostrae natōis. Si uero tam multa & magna in pace, in bello, domi atq̄ foris, neq̄ pr̄evideri sine pr̄cipua quadā & propediūna sapientia, neq̄ suscipi sine animorum magnitudine singulari, neq̄ perfici sine summa, & uirtute, & ratione potuere, merito qui dem doleo, non contigisse illis parēm scriptorem, & qui ingenio & ratiōe facta ipsa complecti atq̄ exēquare posset. Quamobrem cum Callimacho nostro, ut eam prouinciam subiret, egi s̄pē ali as, sed nuper accuratius, cum legisset mihi libellum nouissime a se ceditum, de his quæ a Venetis tentata sunt, Persis ac Tartaris contra Turcum concitandis. In qua materia explicanda, uisus est mihi assequi, quasdam utiq̄, uelut umbras, & prima lineamenta, scriptoris neq̄ imperiti, neq̄ rerum inexperti. Tametsi in eo conatu memorabili quidem, sed quia prius omisssus quam inchoatus, nil tale fieri contigit, in quo, aut ingenium, aut facundia magnopere fese efferret. Sed tamen exinde possemus, si magnam aliquam & copiosam materiam aggredereretur. Adiuuat enim amplitudo rerum scriptorem, & in splendore ac strepitu factorum dictiorūq̄ sublimium ueluti scribentis ingenium excitatur. Ita si quis est orationis squalor ac tenuitas fere delitescit. Sed cum ita a me discesserit, ut minime certum habeam quid de effectu petitionis meę mihi possim polliceri, feceris tu mihi rem maximōpe gratiam, patrię autem nostrae honestissimam, ubi ad ipsum ueneris, si meo simut & tuo nomine ceu uim adhibens, extorquebis, ut eam gratiam referat regno, & nationi bene de se meritis. Scio multum tibi affici, nec pertinaciter precibus tuis aduersaturum, pr̄sertim quod non minus laudis ipsum quam regnum sequetur, si nobis obtemperauerit. Tu uero illi a quo educatus sis & bonis artibus institutus, nullū genus gratiæ, aut solidius, aut quod malle debeat, reserrepotes, quam si persuaseris, ut boni uiri officio fungens, illos a quibus ornatus est, atq̄ auētus fere omnibus humanæ fortunæ de coris, uicissim ornet ipse, immortalitatq̄ commendet. Reuersus igitur ad Regem sine mora Callimachum adij, tam studio exequēdi, quæ in mandatis dederat Episcopus, quam cupiditate uidendi libellū cuius intulerat mentionē. Ille de historia quidē cōscribenda responsum dedit, quale oportuit eum, qui foret grauissima uoluntate erga Polonos, & minime contumax uideri cuperet aduersus Episcopī postulata, sed in re tam ardua, laboriosa, ocij, ingenij ac doctrinæ suæ rationem habendam putaret, Libellum autē non foluna

## E P I S T O L A ,

solum facile, uerum etiam libenter exhibuit, cuius lectione postea  
cum supra modum delectare dubitassem, equidē falli, aut propter  
benevolentiam, qua iure Callimachum quasi parētem prosequor,  
aut propter confuetudinem legendi scripta ipsius cū uoluptate,  
uel certe propter ætatem imbecillam adhuc talibus iudicandis.  
Sed authoritas Episcopi summi usq; nec solū prædicti ingenio ac  
doctrina singulari, sed omnium quoq; diuinarum humanarumq;  
rerum cognitione, ac prope experimento prudentissimi confir-  
mavit me, ut crederem nō solum merito placere mihi, uerum cū  
uoluptate & fructu aliquo legendum etiam ab omnibus qui in  
Reipub. alicuius administratiōe cum authoritate aliqua & digni-  
tate uersarētur. Nec solum ob eam rem, sed etiam quia continet  
gesta eius Ciuitatis quæ tibi patria est, & in qua merito plurimū  
excellis propter doctrinam tuam & uirtutem incredibilē, dignū  
putauī, ut cura & diligentia mea in manus tuas perueniret. Est ut  
legendo compieries uetus, & magnarum actionum com-  
munione fundata benevolentia inter Ciuitatem tuā &  
regnū nostrū. Quod si officiū hoc meum quale-  
cunque humanitate qua es accipies, ad  
publicā inter Venetum & Polo-  
num priuata etiā amicicia  
nostra accesserit.

Vale.



M iii

# P. CALLIMACHI

EXPERIENTIS, IN LIBEL

lum de his, quæ a Venetis tentata

sunt, Persis ac Tartaris con-

tra Turcos mouen-

dis, Prefatio.



O S T Q V A M V L A  
dislaus Poloniæ ac Hungariæ Rex, qui viribus &  
auspicijs simul suis, simul  
cæterorum fidelium, ma-  
ximeq; Venetorum, diu  
cōtra Turcos Christianū  
nomen defendit, secūda  
expeditione in cursu gerē  
darum rerum, non sine ingenti iactura Religionis  
nostræ ad Varnam interiit, Græci, quorum impe-  
rium ad eam diem non alio magis, quam illius præ-  
sidio steterat, conuertere se ad Italiam opes imploran-  
das, sperantes, propterea quod nō priuato aliquo  
odio impugnarentur, sed ob eam causam, quæ cō-  
munis foret eis cum ceteris Christianis, Italicos, qui  
minime ignorarent quā triste sit & discriminosum  
hominibus, agris, urbibus, bellum, & quæ cum il-  
lo accidere solēt, intra suos fines substituere, putatu-  
ros faciūs mala eiusmodi ab se procul aliena defen-  
dendo retinere, quam Græcorum etiam opibus au-  
cto hoste, ingenti suarum rerum calamitate in Italia  
experiri.

P R E F A T I O .

experiri. Sed plerisque curandis illic suis intentis, qui  
busdam alienis imminētibus, nonnullis pacis atque  
oc̄i facilitate captis, nōnullis parum futuras clades  
prouidentibus, haud facile iuueniebatur, qui com-  
muni periculo insigniter moueretur, putaretque sibi  
potissimum euenturum. Igitur subacta Græcia, om-  
nes simul postea trepidatio eadem ac pœnitentia in-  
uasit. Et passim animo angebantur, quod propter  
quietem breuem simul & incertam, maximo ac im-  
pacabili bello, aditū ad se præcludere neglexissent.  
Apparebatque præsentis iam malici cōturbatione per-  
cullos magno consensu occursum. Sed ubi ruinæ  
que procul ab oculis acciderat, in auribus quoque fra-  
gor coepit evanescere, ardor ille animorum qui ui-  
sus est ab initio in aciem om̄es subito producturus,  
intra præteriorum reprehensionem comploratio-  
num deferuit. Neque præter Venetos quempiam  
usque ad arma commouit. Illi haud ita multo post ue-  
ra extimatione affutura discrimina metientes, tum  
rati exemplo, magis quam uerbis se mouendis cæte-  
ris profuturos, dubium maiori animo an apparatu  
primas tuendæ Religionis nostræ partes suscepere.  
In quo incepto preter spem postea destituta Chri-  
stianis Persas & Tartaros sibi adiungere curauerāt,  
agendoque & suadendo eo rem deduxerant, ut pro-  
pe sine aut labore, aut periculo fidelis alicuius, Tur-  
corum opes funditus euenterentur. Verum seu glo-  
riæ illorum, seu Christianæ felicitati fortuna in-

P R A E F A T I O.

uidens, facile inuenit, quomodo nō tantum ab in-  
stituto committendi inter se infideles, sed etiam a to-  
to eo bello cogitationes simul & uires ipsorum re-  
traheret ad resistendum oppugnaturis uiciniora,  
& quæ sine totius imperij Veneti naufragio negli-  
gi non poterant, Cæterum, quia non citra esse  
etum res omissa est, ideo autem ratio consilijs lau-  
danda, ac non minus admiranda, simul & prædi-  
canda magnitudo animi & constantia eorum, qui  
a suis deserí cum sentirent, nequaquam periculis ce-  
dendo, sed quod alios ad pacem & concordiam in-  
clinasset, in stimulū gerendę rei auertendo non tan-  
tum inuenerant quomodo oportunitatibus suis  
tunc consulerent, sed etiam demonstrauere Chri-  
stianis cæteris facultatem simul & rationem delen-  
di aduersarios suos, si quando postea intendere ad  
id animum placuisset, Namque ob rem nuper cum  
essem Cracoviæ apd' Ioan. Miricā, in horto, una cū  
Nicolao Mergo, Nissensi, ac Boscziza Iacobo, q̄rū  
utrius doctrina & eloquentia insignior sit an admi-  
rabilior, nō facile quis dixerit, mirati sumus inter le-  
gendū res gestas Venetorū, de Persis propemodū  
dissimulāter, de Tartarīs uero nullā esse omnino in  
historijs Sabellici expressam mentionē. Sciebamus  
eū multū ac sæpe esse actū a Venetis p̄ magnos Ora-  
tores apd' Regē Poloniæ, de utraq; gête in Turcos  
cōcitanda, nec succurrebat cōiectantib. qua potissi-  
mum ratiōe materia eiusmodi foret prætermissa cū  
multa

Ioan. Mirica  
Nic. Mergus  
Ia. Boscziza

P R A E F A T I O.

multa in ea esse uiderentur, quæ uarietate rerum & copia, historiam exornare possent, præterea nouitatem sua allicere lectorem ac tenere, ad extremū gentis, cuius facta describuntur authoritatem, magnitudinem, sapientiam, magnopere declarare. Subiit igitur cogitatio mandandi separatim literis, quecunq; cum natiōibus illis uel gesta uel tentata forent a Venetis. Tum quia licere uidebatur sine iniuria eius q; indigna censuisset, ut scriptis suis insererent. Tum q; amemineramus ex perpetuis aliar; urbium historijs, plerasq; insigniores materias excerptas, ac lectorum particularibus uoluminibus explicatas. Inter ea autem quæ toto eo bello uel effici, uel tentari contigit, nihil aut illustrius, aut memorabilibus q; id factum apparebat, tum propter Tartarorū Persarumq; nomen & bellicam industriad, fere ab omnibus authoribus nobilitatam, tum ob Reges maximos, qui eo in conatu Venetis affuere, sed & propter utilitatem indicandi fidelibus quemadmodum periculorum suorum curatores magis remedia non persuunt. Sed occurrebat in primis ea difficultas, q; si hoc mihi faciendū assumerem, propterea quod de me multa forent explicanda, non uidebar tam libere, quam ratio historiæ postulat illa commemorare posse. Atq; ideo conatus sum ab alterutro impetrare, ut uerecundiæ simul & nomini meo consularent. Quandoquidē materia dignissima foret, in qua eximium quodq; ingeniu & eloquentia uersa-

N

retur. Sed cum suadendo parum proficerem, noluī  
pro virili mea, uel mihi ipsi, uel gloriæ eius Ciuita-  
tis, a qua maiores mei oriundi ad extremum deesse,  
prosecutusq; sum ita singula, ut necq; derogauerim  
quippiam, nec arrogauerim ueritati. Sed necq; libe-  
rum fuit cum pleriq; eorū per quos hec gesta sunt,  
uiuant, & facile coarguere poterant mentientē. Ce-  
terum ueluti dictorū factorumq; series ad unguem  
constat ita fieri forsai queat controuersia in uno  
atq; altero proprio nomine eorū, a quibus res ge-  
stæ. Fateor enim tam cur fuisse, quo nomine mihi  
quis uocaretur, q; quo consilio atq; ordine quicq;  
aut gesserit, aut dixerit.

## NARRATIO

NIS INITIV M.



ELLO Q VOD CVM  
Ferrariense haud sane ul-  
tro inceptū, Veneta Res  
publica cū tota Italia sub-  
inde gessit, quādo satis cō-  
stat pari omniū ordinū tā  
gaudio q; consensu esse de-  
positū dubitari forsan q; at  
plus ne spei in suscipiendo  
q; in gerendo animi Venetus præsetulerit. Quippe  
qd apud ipsum uicinitas abhorretesq; a bellicis stu-  
dijis Ferrariensiū animi excitauerant, ab initio spem  
haud

DE VFNETIS C O N T V R.

haud dubiā fore, ut sine maxio conatu, priusq; omniō quisq; ad resistēdū expedire se posset, adiūceret imperio suo ceu suburbanū ornamētū ac presidiū, eamq; ob rēfiducia plenus arma suscepereat. Vbi uero reliqua Italia cōiunctis uiribus & consilijs, uelut ad commune incendium restinguendum accurrat, non fructus solum sed pulchritudo etiam uictorig; ad rem gerendam animos erexerat. Prēter id enim quod apparebat, exinde simul oportunitatē, ac uires, simul & causas ad subigendum plura quam destinasset accessuras, longe gloriosissimum uidebatur si sine aliquo externo auxilio suis opibus atque auspicijs tam multorum pariter impressionem contra se retudisset. Atque ideo summis, & uiribus & conatibus decertatum. Nam in pace quidēm suscipienda, nō tam præsens difficultas ualuit, quam memoria periculorum & tedium belli, quod prope ad Trigesimum annum uaria fortuna cum Turco extractum, paulo ante deposuerat, desyderabaturq; fere ab omnibus in Ciuitate laxamētum aliquid, & ceu tempus ad respirādum. Sed ueluti corporibus plenis ac mole sua laborantibus frequentius mala ualetudo insultat, & facilis inhæret. Ita in adeo ingenti magnitudine multiplicium negotiorum ac rerum maximæ ac populosissime urbis, nunq; tuū fortunæ deesse possit occasio inturbādi aliquid. Tametsi pax ab omnibus unanimi uoto fuerat expectata, eius tamen dulcedinem non ex æquo omniū

N ij

P. C A L L I . H I S T O .

animi pœnitus admisere. Nam & pestilentia uehe  
mētius solito per id tempus sequens, multorum do  
mus luctu et squalore quotidie implebat, acceptaqz  
in Oceano Iberico clades, etiam fortunas aliquorū  
euerterat. Cum enim propter uulgatam iampridē  
adeo concordem totius Italīc conspirationem, Ve  
netorum res haud procul exitio adducta crederet,  
coepissetqz ipsorum nomen & authoritas apud exte  
ras gentes prope palam uilescere, Columbus maxi  
me insignis pirata, sumpta exinde cogitatiōe simul  
& audacia, quatuor ex Venetis negotiatorijs trire  
mibus multa & preciosa merce onustas, haud lon  
ge a promontorio, quod caput sancti Vincentij ap  
pellatur, diripuit, dubium consentiente Rege Por  
tugalliæ, qui & ipse Venetorum imperiū tam ue  
hementes contra se conatus toleraturū desperasset.  
Id utiqz ad suspicionē ualuit, quod ab ea rapina Co  
lumbus cum rebus atcqz hominib. qui superfuerant  
pugnæ commissę, anteqz triremes capi possent re  
cta in Lisbonam, quę regia sedes est, se recepit. Con  
stat tamen dimissos captiuos postea hospicio ac uia  
tico a rege beneuole adiutos, quod ipsum maligne  
uulgo interpretabantur. Plærisque id omne im  
pensum renouatæ in illius animo Veneti nominis  
reuerentig, post initam pacem in Italia, alijs dissimu  
landæ malifacioris conscientiæ tributum asseuerā  
tibus, ego Regis animum liberum ac sublimem, ni  
hil aliud captasse crediderim, quā ne alienæ, aut in  
iuriæ

Columbus pi  
rata

Lisbona.

D E V E N E T I S C O N . T V R .

iuriæ intempestiuus ultor, aut miseriæ inhumanus  
cōtemptor uideretur, seruataq; totius facti in legiti-  
mum tempus cognitione, interea tam libertatis re-  
gni, quam benignitatis suæ seruasse rationem. Sub  
idem quoq; tempus ex improviso pleræcq; Matthie  
Regis Hungariæ copiæ irrupere in forum Iulij ,  
eamq; ob rem nō nihil etiam publice trepidatū, in-  
uaseratq; ingens sollicitudo plebis pariter & Patriū  
animos , ne Italia coniunctis sibi viribus bellicosissi-  
mi Regis , & cuius potentia rebus Venetis infe-  
standis in primis oportuna, resumēdi arma quære-  
ret occasionē. Itaq; propere oīs eq̄tatus q; circa eā re-  
gionē in statuīs erat moueri iussus ad loca q; pericu-  
lo propinquiora crdeban̄. Sed ueluti postea res in-  
dicauit, ab Vngaro, qui tum maxime in armis erae  
cōtra Cæsarem , nihil aliud cogitatū est in eo motu,  
quam occupare per occasionem, aut portum Nao-  
nis aut Tergestum, cuius rei spem fecerant nonnulli  
exules, quasi solutæ, ac sine ullo custodiæ diligen-  
tioris studio utrobicq; ab indigenis agitaretur. Cæ-  
terum cum nihil quale ab exilibus asseueratū erat,  
inuenissent, sed cura & diligētia Cæsarei Prefecti is-  
erat Georgius Elecheri pacis ac belli artium iuxta pe-  
ritissimus , uiderent omnia prouisa instructa q; nō  
modo aduersus insidiantium occasiones, sed etiam  
ad apertam uim si inferretur sustinendam, sine aliquo  
conatu post dies retro qua uenerat̄ abidere. Accessit  
autem ad hanc inanem trepidationem , mox etiam

Copie Mat-  
the Regis  
in forū Iulij.

P. C A L L I. H I S T O.

Ioan. Mocenigi  
Ducis  
mors.

M. Barbadis  
eius Dux.

publicę orbitatis uerus omnium in Ciuitate luctus  
ac moeror, subsecuta ducis Mocenigi morte, q̄ om-  
nium ante se Principum laudes, maximo interual-  
lo antecedere potuit, Republica non minus aucta,  
quam fortiter sapienterque administrata, nisi quie-  
tis tam ingens quam minime improbandum studi-  
um, in florentissimo gerendarum rerum cursu ma-  
teriam illi intercepisset. Hærentem igitur & quasi  
alienatā a sensu pacis Ciuitatem, inter has simul ue-  
ras, simul falsas ceu nubes aduersorum reseruauit  
Marci Barbadici in demortui Principis locum sub-  
rogacio, ad cuius electionem publicæ felicitatis in-  
dicium affuisse uideri poterat. Tanta om̄is generis  
uirtutum indoles in ipso non solum eminebat, ue-  
rumentam multis ac magnis Ciuitatis oportunitati-  
bus, spem omnium de se iampridem impleuerat.  
Sed quo nullum disciplinæ ac probitatis antiquæ  
maius argumētum de eo afferri queat, liberorū mul-  
titudo, quę in assequendo Principatu ad eam diem  
multis alijs impedimēto fuerat, uel in primis illi est  
suffragata. Nam cū Ciuitas semp̄ antea credidisset  
paternā magnitudinē corrupturam filios, tantū ab-  
fuit, ut tale aliquid de familia sub patre tam Sancto  
instituta suspicaretur, ut etiam crediderit id quod  
postea res cōprobauit, se cum usus postulasset, nō  
minora presidia in filijs, q̄ in patre habiturā. Ingēs  
itaq; oīm ordinū letitia tante spei principē exceptit,  
gratulabanturq; uulgo iñuicē, & quicq; d̄ fœlix sau-  
stumq;

DE VENSTIS CON. T VR.

stumq; dīcī potest publice ac priuatim mutuo sibi  
polliceban̄. Ille autem statim ab inicio principatus,  
quando foris oīa mari terrac; tranquilla acceperat,  
ūbi Cyprum licet ab armis, nō tamē a suspicioībus  
quietā missis eo quīngētis peditib. p̄sidio firmauit,  
pacis artibus ornandae augendeq; Ciuitati pro na-  
tura sua intentus, in primis palacium quod sub Mo-  
cenigo foedum incendium deformatuerat, maioriq;  
institutum fuerat, studio atq; impendio instauran-  
dum curauit. Multum enim maiestati publicae ad-  
di intelligebat, si comicium & Senatus habendi lo-  
cus, tum Principis ipsius qedes Amplitudini tāti im-  
peri magnificētia & sumptu adequaretur. Et quo-  
niā frustra uidebatur ab externis pax quæsita, po-  
pulante quotidie Ciuitatem pestilētia, quam nulla  
re magis uulgarī credebant, quam attractatione ue-  
stimentorum utensiliumq; aliorum, que in usu mo-  
rientium fuissent, oportune excogitauit nouū Ma-  
gistratum creari, uniuersis eiusmodi mortuorum  
suppellectilibus concremādis, seponendisq; ad cer-  
tum tēpus habitatoribus a funestis domib; nec  
minus peregrinorum commercijs interea inhiben-  
dis. Qua cura contagione sublata effectum est, ut pe-  
stis paulopost omnino cessauerit. Nec defuerant in-

Instauratio  
palacij.

Contra pesti-  
lentiam.

Purgantur  
canalia.

P. C A L L I . H I S T O .

quos tam sordidis domorum eiectamentis, qua li-  
moso cœno ab inuehēte se per palustria mare agge-  
sto iam pridem repletos, subinde recurrēs in freū,  
aqua propemōdum siccōs quotidie relinquebat.  
Itaq; ne huic quoq; parti salutis ciuium suorum in-  
dulgentissimns princeps deesset, de meatibns aqua-  
rum expurgandis agēdiscp intra urbem altius, cum  
Patribus egit ac persuasit, qua cura, non tantum ua-  
letudini, sed oportunitati etiam communi consul-  
tum. Quandoquidem plæraq; loca refluente mari,  
iam pridem adiri & nauigari desierant posse. Reddi-  
ta ualetudine ac splendore suo ciuitati, ut nihil om-  
nino ad summam eius temporis felicitatē desyde-  
raretur, leuandis annonæ præcijs commeatuumq;  
*Annonæ co-*  
*pia.* copia inducēda animum adiecit. Nec mora adeo in-  
gentem uim omnis generis frugum rerumq; aliarū  
quibus non solum commode, sed opulēter uiuitur  
diuersis in locis, importari curauit, ut satis constet  
uel ab urbe condita nunquam uilius eiusmodi om-  
nia uenisse. Quæ per se grata uulgo, exinde etiā gra-  
tiora reddebantur, quod nihil in eis affectatum cre-  
debant, nec dari captandæ populari aurg, sed ciuiū  
commodis intelligebat. Quandoquidem paterno  
in om̄es animo ipsum esse quisq; tibi persuaserat.  
Necq; aut benignius audierat, aut maiori cum equi-  
tate cōfugientium ad se querelas iniuriasq; compen-  
sauerat. Tam florētis & tranquilli status fama, eti-  
am per exteras nationes ematauerat. Itaq; Turcus  
qui

DE VENETIS C O N . T V R.

qui bello Syriaco erat contra Soltanum occupatus,  
intelligebatq; propter clades quas illuc acceperat ,  
actum esse de imperio suo, si præcognita sibi a longissimo  
experta bello Venetorum potentia , tunc  
maxime cōtra ipsum arma resumpsisset, cum ingen  
tibus donis Oratores misit, qui pacem ac fœdus cū  
Parente suo , haud ita multo ante ad Scodram per  
culsum renouarent. Callimachus uero Experiens ,  
qui ultra q̄ de priuatæ fortunæ modo credibile sit,  
magnis ac uarijs casibus per diuersas regiōes ac gen  
tes agitatus, tandem in Polonia instituendæ Regie  
prolis gratia substiterat, cum sciretarma, in Turcos  
sumpta, Venetos posuisse nō sponte, sed ex medio  
belli cursu reuocatos, suspicionibus molitionū uel  
inuidentium illorum gloriæ uel timentium magni  
tudinis incrementū, ubi pacate agi in Italia accepit ,  
ratus posse fieri, ut rursus ad rem gerendam contra  
Turcos se cōuerterent, repetita apud Polonū men  
tione, eorū que ante pacem Turcicam de armandis  
Tartaris agitauerant, persuasit per occasionem ut il  
lorum animi superinde tentarentur. In quam cogi  
tationem ne temere incidisse putetur, quando eadē  
oportunitas que inuitauit Venetos, ut Christiano  
rum hostes Christianis rebus conseruandis implo  
rarent, illius quoq; studium atq; operam necessari  
am reddidit. Res est paulo altius repetenda. Post oc  
cupatum Constantinopolitanum imperium, & re  
liqua omnia, quæ ad id locorum Græcis in Europa

Legatio Tur  
ci ad Vene  
tos.

Callimachus +  
agit de Vene  
tis rursus cō  
tra Turcū av  
mandis.

O

paruerant, cum Turcus, exploratis per incursiones tam viribus quam situ Epyri & adiacentium Regionum, agitaret de præparando sibi in Italiam aditum, redacto in potestatem suam portu aliquo in sinu Adriatico, Veneti, non tam quia periculo propiores essent, quam quia uerisimile apparebat, neminem fore omnino Christianis iniciatum, qui non eos ad commune exitium propulsandum sequeretur, nedum cōsilia communicaret, pertentando aliorum animos illa occasione fretus destinata perficeret, Religionis nostræ publicum discrimen priuis armis suis interim submouendū censuere. Nec postea destitere cæteros Christianos principes implorare, in primisq; Pōtificem Maximum ut socias vires in eo bello coniungerent, cuius tam uictoria quam periculum ex equo ad omnes pertineret. Sed cum persuasum foret ab initio omnibus, amissa a Grēcis Peloponeso, Venetos nō tam uelut ad Christianæ rei iacturam ingemuisse, quā existimasse oblatam sibi occasionem dilatandi imperium suum, & cū aliqua laude etiā religiosorū animorū, possidēdi multa a quibus inuadendis antea magis pudor quā iniuria eos absterruisse, postulata eorū sic ubiq; accipiebant, quasi quærerēt labores periculaq; & impendia eius belli cōmunicare, cuius fructū minime fuerant cōmunicaturi, si foelicitate quā inter assūmēdi arma sperauerāt debellare cōtigisse, uidebaturq; inique tum demū peti accedere alios ad infoclicē exi-  
tum

P. C A L L I . H I S T O .

tum consiliij, cuius sibi ipsi fuissent authores, sed cupiditate occupandi aliena. Quia uero cogitationib. suis successus absuisset, iactare speciosa nomia pietatis & religionis, & ad malam fortunā implorare socios, quos quamdiu bonam sperauerant cōtempsis sent. Aiebant ergo passim per contemptū, gererēt gnauiter bellū sponte pro utilitate sua suscepū. Sed nec uerisimile esse adeo prudentē ciuitatem, id onus temere suscepisse, quod facillime se laturam ignorasset. Itaq; cū intelligerēt contra ac periclitans Religio sperare a degerat, lea Christiāis destitutos, inter difficultatē pseuera ndi, & pudorē desistendi anxiū uulgo & incuria uarie fremebant, & modo oīa conari, modo nihil placebat, uicissetq; ad extremū sentētia eorū qui in periculis nō quæ speciosa uidentur, sed quæ usus necessaria redderet sequēda esse dicentes, censemabant quibuscūq; conditionib. molem belli a se in alios transferendā, ut periculis suis tandem experirētur ea quæ Venetis credere noluissent. Sed ac clinatos in eam uoluntatē Patrum animos noua spe oblata erexit rursus ad rem gerendam Paulus Maurocenus, qui sapiens est appellatus. Nam cum legationes plāerasq; concitandis ad arma Italiae Principibus frustra obijsset, licet egreficeret maligne id bellum a multis interpretari, tamen ratus animaduentum non adeo quid alios pati, quam quid ipso facere deceret, tum gnarus fortis esse & constantis animi, ubi præclaras res & magnas gerere

Paulus Mallo  
rocenus.

O ij

cum ratione acceperit, nequaquam cedere uel terre-  
ri difficultatibus, sed placide tolerari accidentia, que  
non ignauia aut temeritas consilijs, sed maximis qui-  
busq; conatibus obluctans fortuna obiecerit, ratio-  
ne habita ex temporis acrierum oportunitate, osten-  
dit, preterquam quod turpe foret quasi cupide coe-  
pissent, & timide desisterent, etiam sine summo dis-  
crimine, incopta omitti non posse. Turcum omnem  
pacis mentionem ducturum pro confessione imbe-  
cillitatis, cedentium ulro ipsius uiribus, Eamq; ob-  
rem dicturum conditiones quasi desperantibus ac  
uictis, quas & suscipere et repudiare tantundem pe-  
riculi in se contineret. Authoritatē regum ac libera-  
rum Ciuitatum pro maiori parte stare ex opinione,  
si secus quam pro dignitate imperij sui quicquam  
statuerent interitaram persuasionem quae de uirtu-  
te ac facultatibus ipsorum circūferret. Nec eandem  
postea futuram & in Italia & apud exterias natiōes,  
quae ad eam diem fuisset, Veneti nominis reueren-  
tiā, multumq; audaciæ assumpturum sibi emulū  
quenq; si uidisset ipsos operibus suis ceu diffidere,  
nec dubium, exinde inuitatum nouandis rebus ani-  
mum adiecturum. Eamq; ob rem nunc certum esse  
in pace agitaturos, etiam si illam Turcus dedisset,  
Quanto autem grauius uelut a porta Ciuitatis, to-  
tis uiribus Itali ci bellum imperij propulsare, quan-  
do procul a domo pauculis triremibus Turcorum  
conatus impedire, facile intellectu esset omnibus qui  
rerum

D E V E N E T I S C O N . T V R .

terum gestarū cum Genuensibus, & Philippo Mediolanensem Principe meminissent. In eorū arbitrio esse belli quod gererēt rationem temperare, ad modum facultatū suārum, pro ut eas suppeteret intelligerent, uel oppugnandis alienis, uel suis defendendis. Illud utiq̄ pro maximo ducendū quod interea securi essent ab omni alio bellico discrimine. Nemine enim usq; adeo impudenter rei Venetę insensum, ut abiecta Dei atq; hominum uerecundia quicquā molitus foret, per quod diceretur a tutione Religionis eos auocasse. Sed ut nullum aliū fructū sibi possent polliceri, bene institutis animis satis esse debere, bonam cōscientiam, tum laudem, quam seruata Christiana re consequerētur. Nec autem impedimentum aut discriminem aliquod tanti existimandum, quin ultro esset pro tanta gloria subeundum. Ad extreūm, si uellent ex natura sua rem diligenter attendere, proculdubio intelligerent uel in primis ex eo perseuerandum esse incepto, propter quod pleriq; desistendum putarent. Desertorū emā a ceteris uirtutē manifestius apparituram. Sed neq; fore ut aut cōsilio, aut oportunitate aliena bellare cogerent, aut cōmunicare uictoriam, ad quam Deo ac felicitate publica duce maiori, tum p̄mio, tum laude soli sine alijs Christianis adiutorib. essent puen-  
turi. Erigent modo animos anniterenturq; ne alienam siue desidiam, siue peruersam rationem imitādo, indignos se ostēderēt illis Maioribus, q; prope

O iij

frequentius pro Religione conseruanda quam pro  
 iniurijs suis bella gessissent, nō defutura aliunde ge-  
 rendæ rei adminicula, si Christiani ad extremum  
 usq; negare perseverassent, commemoratisq; subin-  
 de multis de Persarum regno, cui Turcus immine-  
 ret minime dubitādum esse inquit illorum Regem  
 Vluncassanum, si inuitaretur, suscepturnum condi-  
 tionem communicandi consilia & uires, cōtra eum  
 hostem, quo saluo, securus ipse esse non posset.  
 Eam non solum efficacem, sed etiam minime dif-  
 ficilem uincendi rationem, si adiuncto sibi Rege,  
 armis, equis, uiris, & disciplina militari maxime  
 insigni, sed & propinquo locis quæ oppugnanda  
 forent, subito ancipitem quasi procellam diuersis  
 in partibus eodem tempore excitarent, cuius uehe-  
 mentia perculsus hostis, priusquā constitueret, aut  
 quomodo uires suas diuidereret, aut cui prius pericu-  
 lo potissime occurreret, spaciū & occasionem sua  
 prope expugnandi præbere cogereſ. Nihil minus  
 aut timeri a Turcis, aut cogitari quam suæ sectæ ho-  
 mines cōtra secū Christianis cōjuratos. Eocq; discri-  
 men maius & trepidationē apud ipsos oriturā, ubi  
 firmū esse animaduertissent, in id rem totam uerti,  
 ut p se educerent, supato Euphrate mouere in Cap-  
 padociam, & Galaciā, quasi intima Ponti & Bitinę  
 petituri. Euacuaturū em̄ Turcū necessario præsidijis  
 omnia quę in Europa possideret, ut fundamentū re-  
 rum suarū Asiam tueret, nec remansurq; subinde cis-  
 vunctionis

Helleſ.

## DE VFNETIS C O N T V R.

Hellespontum bellū, sed sine defensoribus p̄edam expositam quibuscunq; prius accurrisse. Quoniam tum nō religiosum foret inconsulto Pontifice Maximo inire foedus cū Rege a Christiana professio alie no, priusq; de Oratoribus ad eam rem designandis referret, uideri sibi legatū ad urbem mittendū, qui quod s̄aepē antea factum fuerat Pontifici repetitis iterum causis belli cōtra Turcū suscepiti, & simul cō memoratis sumptibus ac periculis, quibus ad eam diem illud substinuissent, dū frustra fideles quoq;, sed ipsum maxime custodem ac Principem Christia nā rei ad cōmune exciū ppulsandū implorant, de mōstraret eo rem deductā esse, ut etiā si uelint mini me queant diutius sine aliena ope tanti hostis impetus tolerare. Itaq; si sua picula nō essent magis q; ante a fuissent curę Christianis alijs necessario cogi ad pacē se cōuertere. Sed quia expti forent, parū benignos interpretes suscepiti a se belli, ne in deponendo quoq; reprehēderent uoluissē necessitatē suam pri us indicare. Cōsiliū uero cōsociandi in bello Vlon cassanū cū Persis, ut pfundius in animū Pōtificis aliquorūq; descēderet, nō ita aperiēdū tanq; a se cogitatū, sed suggestū aliunde, quasi uulgatū foret paulo ante licet nō satis constanti fama illū a Turco lacescitum, de ineunda cū Venetis belli societate cogitare, quā rem minime sperare auderēt. Quid em̄ ille uellet cō iungere sibi a secta sua omnino abhorrentes, prefer tim q̄s scireta suis cēu pditos, certe qđ dissimulari

non posset destitutos. Verum si communis omnium Christianorum nomine inuitaretur, fieri forsitan posse, quod magnitudo authoritatis extorqueret apud animum perturbatum, ut tam desiderium ulciscendi insultates sibi ultro, quam cupiditas conservandi sua plus ualerent quam diuersitas religiosorum. Sed tam & si consilium subesset, quo flecti ad Venetam societatem posse crederetur, non tamen audere prius tentare, quam eius rei ueniam impetrassent. Tum quia periculosem appareret indicari infidelibus, minimum opis Christianis esse in seipsis, tum quia merito uereretur, quorsum accipi contineret, si cum Religioni hostibus fœdus atque amicitiam coniungerent, quando criminis dabatur, quando arma ut eos delerent suscepissent. Probata est uero ab omnibus Mauroceni sententia. Itaque decretus ad urbanam legationem obeundam ex Equestris ordine Jacobus de Medio. Antonij filius, uir rite ingenij, & ciuili rerum singulari peritia maxime memorabilis. Is paucos post dies postquam Roma uenerat, renunciauit Patribus suis multa quidem, sed in futurum omnia Pontificem polliceri, quo ad presens, nullam spem reliquam eis praeterquam domi esse. Intenderent erga animos & cogitationes expediendis rationibus si quas putarent superesse rebus & maiestate Veneta conservandis. Mentionem Regis Persarum auditam illuc quasi simulatum incitamentum a querentibus belli socios, tamen in ostentationem

Jacobus de  
Medio.

DE VENETIS CON. T V R.

tationem fidei adhibitæ, permissum ut experiretur  
si quid adminiculi Christiano nominis, uel in Persi-  
de possent inuenire. Itaq; cum censuisset Senatus ni-  
hil utiq; minus e Repub. quam si agendū de cōcor-  
dia ultro accederetur, omniaq; experienda esse, ut si  
uincere nō possent, primam saltem pacis mentionē  
ab hoste extorquerent, supplemento ad classem in  
Peloponessum misso, qui in Persidē proficisceret,  
deligitur Catherinus Renus, ex Senatorio ordine,  
uir haud dubie facundus atq; solers. Sed ambigeba-  
tur cui potissimum itineri se cōmitteret, cum prop-  
ter bellum qd inter Turcum & Carmanum ac alios  
Barbaros gerebatur in Cilicia, uideretur omnia im-  
peditiona, quam ut tute illac esset euasurus. Hesitan-  
tibus igitur ceteris, Bernardus Iustinianus, Leonar-  
di filius, cui nō solum Ciuitatis res suæ cognitæ, sed  
omnis etiam peregrina historia, simul regionū sin-  
gularum tractus atq; situs, planum fecit, si ille parū  
se circumduxisset, non solum procul a periculo, ue-  
rumentam per nationes urbesq; partim amicas, par-  
tim quibus idem quod & Veneto expediret, facile  
quo mittebatur peruenturū. Enarratis deinde que  
contra Turcos, Venetus communī consilio atq; au-  
spicio cum Polonis gessisset, tum alijs expeditioni-  
bus, sed praesertim illa infausta qua ipsorū Rex Vla-  
dislaus ad Varnam occubuit, quo tempore si cæte-  
ri qui ad Hellespontum classem habebant, eadem  
qua Venetus Imperator sive ac diligentia Turcos a-

Cath. Renus

Bern. Iustini-  
nianus.

P

transitu in Thraciam phibuerint, præter id quod  
inexpedito uictoria Vladislao remanebat, iam pri-  
dem nedum authoritas aliqua impiæ gentis, sed ne  
nomen quidem esset in Europa. Adiecit benevolè-  
tiā pro religionis incolumentate sic initam apud  
utranq; gentem postea Sanctam permansisse, certa-  
tumque per occasiones mutuis officijs, eamque ob-  
rem tam in gratiam uetusæ amiciciæ, quam ob sin-  
gulare studium pietatemq; egregiam, Casimiri Po-  
loniæ Regis, erga Christianū nomen, pro compre-  
hensione habere, si id, quod sine aut difficultate, aut discri-  
mine facere posset, Catherinus ad illum egrederec,  
benigne daturam operam, ut incolumis ad Caffam  
duceretur, atq; inde transfretaret in Sabastopolim,  
ad Regem Georgium, a quo per regiones ac gentes  
aut sibi aut Persiā i Armenia & in Media subiectas,  
tam libēter q; facile ad destinatū locū sine dubio mit-  
teretur. Tum quia Rex ille esset cōiunctus affinitate  
Uſoncassano, tū quia Christianis sacrī iniciatus.  
Sed in primis propterea, q; post ademptā Græcis  
Trapezuntē, intelligeret regnū suū nō diutius fo-  
re incolume, quā Turcus bellis alijs detinerec. Ex  
sentētia Iustiniani, dimissus Catherinus, non secus  
acille predixerat benigne, & cum cura habitus, pro-  
ductusq; ab utroq; Rege, haud multo postq; in Per-  
fas uenit, cū de foedere persuasiſſet, impetravit eti-  
am mitti illinc Oratorem, quo cum Senatus age-  
ret, statueretque quo tempore, quibus in locis,

*Casimirus  
Polonic rex*

*Caffa.  
Sebastopolis.  
Georgiorum  
Rex.*

*Trapezont.*

& quo

## DE VENETIS CON. TVR.

& quo genere copiarum, utrinque in hostem impetrū fieri oporteret. Sed ne gerendæ rei occasio distraheretur, placuit Oratorem per Mesopotamiam in Ciliciam recta descendere, indecꝝ in Cyprum etiam mox Venetias nauigare, Itaque oportune contigit, ut inter nauigandum delatus Rhodum, inuenierit illic cum classe, a populandis Pamphilie maritimis, tuac maxime reducta, Venetū Imperatorem Petrum Mocenigum, qui postea Princeps fuit. Is erat ut uir ingentis animi, nec factis minus, q̄ ostentatione magnificus, uelut ad pugnam omnia in classe expediri iussit, & quicquid prædæ aduectū erat, in conspectum exhiberī, ab eoque spectaculo Persam fiducia Reipublicæ lætum ueluta præsentī spe debellandi Venetias ad Senatum in Triremi expedita deportari curauit. Ingens sub illius aduentum plebis simul & Patrum animos lætitia incēsit. Sed ubi cognitum est, uenisse cum mandatis, non solum ad Venetos, uerum etiam ad alios Christianos Príncipes, pene omnium indignatio subsecuta, multaque in Catherinum, cuius paulo ante nomen in cœlum usque laudibus extulerant, cum probro & querela iactata, quasi temere aut postulasset, aut consensisset, alium quempiam simul cum Venetis implorari. Nam præter id quod Veneti nominis Maiestatem, de qua omnia maxima credi uolebant minui apparebat, si plures ad rem gerēdam complices desyderarent, experti etiā

Pe. Mocenig  
gus.

Orator Vſo  
cassani Vene  
tijſ.

quam non serio eius belli mentio & Romæ & alibi  
in Italia audiri consueisset, uerebantur, ne si idem  
quocq; Barbarus animaduertisset, ab instituto cōso-  
ciandi arma, absterreretur. Persa ingenio nationis,  
instituta, iactantia Regis sui arma, copias, discipli-  
nam militarem, pugnas cum extulisset, nihil victo-  
riam rememorari dixit, nisi paucarū urbium, haud  
quaquam ualidas munitiōes, quibus expugnandis  
præreret quod gens illa minime assueta, etiā machi-  
narum & tormentorū, necq; usum, necq; copiam ha-  
beret. Sed tamen si a Veneto submitterentur breui  
ultra Hellespontum nihil remanserū, quod in Tur-  
ci esset potestate. Ipsi quibus præcognitus hostiliū  
rerū status in Europa, de ratione illic quocq; in tem-  
pore debellandi secum statuerent. Postremo petiſt,  
ut dum ad maiores conatus utrinq; oportuna expe-  
direntur, classis Veneta adesset in Cilicia Carmanis  
fratribus, qui & ipsi, utpote Vloncassani amici &  
consanguinei, nō leue momētum accessuri forent,  
Turcorum rebus euertēdis, si paternum regnum,  
unde non magis Turcicis armis quam suorū persi-  
dia pauloante electi fuerant, recuperassent. Intelli-  
gebat Senatus rem esse magni discriminis, si oppug-  
nandarū urbium apparatu instruerent Regem, qui  
propter communem cum Turco Religionem facili  
momento postea cum eo redire in gratiam, & con-  
tra Christianos coniurare posset. Eousq; tamen ex-  
acerbati erant singulorum animi, quia non solū de-  
stituti

Carmen Ci-  
liciae Reguli

Cogitationes  
Senatus &  
dæcretum.

## DE VENETIS C. N. T. V. R.

stituti, sed irrisi etiam in periculis suis sibi uidebantur, ut cum communi fidelium omnium discrimine occasionem suam occupandam censuerint. Factum igitur Senatus consultum, ut primo quoque tempore tres onerariæ cum machinis tormetisque ac reliquo omni instrumento excendarum munitionum, in Cyprus nauigarent, paratique illic essent ad nutum Vltoncassani, exposituræ omnia in continenti, ubi & quando ille fieri uoluisset. Petitisque & acceptis a Perla Oratore literis, quibus Rex certior fieret eorum quæ constituta erant. Illum quidem ad urbem dimisere. Ceterum ne spaciū ei relinquerebat labefactandi coeptorum spem apud suos, si forte parum oportuna de reliqua Italia renunciasset, placuit quod Iosapha Barbarus, Antonij filius, Persicę lingue gna-  
rus, id quod per commercium sermonis non diffici-  
limum apparebat cum eiusmodi literis ac Senatus  
mandatis, eodem quo ille uenerat itinere, statim pro-  
ficeretur, simul ad confirmandum Regis animū,  
simul & quicquid de Christianis cæteris ab Orato-  
re suo postea illi asseueraret. Serum iam esset ad re-  
uocandum progressum in expeditione cōmissum,  
praeterea Iosaphae negocium præcipiendi Senatus  
nomine Mocenigo, ut de restituēdis in regnum su-  
um Carmanis cogitationem simul & curam assume-  
ret. Quam rem ueluti cum mandato efficiendi quaque  
uim & facultatem accepisset, haud multo post Moce-  
nigus strenue aggressus, non minori sua laude, quod

Iosapha Bar-  
barus.

Sichinum.  
Corichum.  
Selcutis.

Carmanorum gaudio perfecit, captis ceu continuato impetu tribus urbibus Sechino, Coricho, & Seleucia, quarum expugnationem reliquarum omnium mox deditio subsecuta. Permisso Iosapha, sapienter quidem praeuiderat Senatus, ne facile in irritum coepita conuerti possent. Sed ueluti in oportunitate consilium longe prudentissimum fuerat, ita res iam transacta reddidit superuacuum. Prius enim quam in Persas peruenisset, Rex cum Catherino mouerat in Armeniam, & receperat in dedicionē Tocatum Regionis Metropolis, & pleraque nequaquam tanti momenti opida. Itaque non tam monendns fuit a Iosapha, quam confirmandus ad rem strenue gerendam, quod sane ille præsticit. Memora bilibus enim aliquot pugnis cōmissis ingenti strage demum profligauit hostem, qui non solum Asiaticas copias suas, sed quas etiam in Europa habuit Persarum conatibus opposuerat. Verum cum ea forent incognita Venetijs, Senatus non minus quam magnitudo rei postulabat ad omnia intentans respectansque, ne si Iosapha parum prospero itinere usus esset, agendorum cursus distrahi contingere, aut desperatione Persæ, si quid forte quod minus expediret Orator interea renunciasset, aut per indignationem quasi tam oportuna amicicia negligentia extimatione sua, a periclitante Vene-  
to amplecteretur, statuit mitti oportere alium, qui eodem

D E V F N E T I S C O N . T V R .

eodem quo Catherinus circuitu , & si paulo se-  
rius sine dubio tamē ad destinatum perueniret.

Ad eam igitur legationem accingentem se iussu Pa-  
trum Ambrosium Contarenum , Bernardus Iu-  
stinianus monuit , ut postquam ad Poloniæ Re-  
gem diuertisset , diligenter Callimachum interro-  
garet de rebus Tartarorum , & an spes aliqua ui-  
deretur posse illos annuente Polono contra Tur-  
cos concitari. Literas præterea tradidit , in quibus  
eadem Callimacho significabantur , & simul futu-  
rum sibi usui atque laudi publicæ priuatimque  
apud Venetos , si sua opera momentum aliquod  
accederet conficiendo bello quod sustinebant. Scilicet  
ebat Iustinianus maximis conatibus haud ita mul-  
to antea decertatum esse inter utranque gentem ,  
Tartarorumque Regis Tamberlani , rem longe su-  
periorem fuisse , profligatos saepe Turcos , mag-  
nisque cladibus affectos. Ad extremum Imperato-  
rem ipsorum , cuius pronepos esset Matimethus ,  
qui tunc regnabat captum abductumque in serui-  
uitutem , & in cauea more feræ habitum quamdiu  
superuixit. Præterea nunquam adeo bona fide ab-  
seedi ab armis , ut omnium simul tam decorum ,  
quam iniuriarum belli memoria deponatur. Con-  
iectabaturque exinde uir longe prudentissimus fieri  
posse , ut uel stimulis uetus odij percitus , uel  
gloriae prius partæ , laudibus inflatus Tartarus ,  
non detrectaret conditionem , resumendi arma

Ambr. Conta-  
renus.

Callimachus

Tamberlan.

Matimethus.

Pe. Buynus.

fœliciter antea experta, quib. accederet etiam quod  
 non ignoraret partem gentis suæ, quæ in Taurica  
 Chersonesso agitat, ultra seruilem modum contu-  
 meliose haberí a Turco post Caffam & Theodosi-  
 am expugnatas. Ambrosius, ubi in Poloniâ uenit,  
 impetratis facile a Rege oībus quæ itineri suo opor-  
 tuna credidit, Callimachum sic dimisit, ut qui mox  
 per literas postulatis Iustiniani esset satisfactorus.  
 Itaq; ille prius facta de agendis mentione cum alijs  
 plerisq;, sed in primis cum Petro Buyno Episcopo  
 Vladislauensi, summæ authoritatis, summæq; uir-  
 tutis uiro, cogitatiōes Veneti de Tartaris ad Regē  
 detulit. Ceterum posita cōsultatione, uix unus atq;  
 alter indulgendū censebat, ut ab adeo ambiguis  
 ac desperatis remedijis Christianæ rei salus peteret.  
 Alij multi gentem in armis natam, & per latrociniū  
 ætatem omnem agentem, minime ea mentione ue-  
 lut inuitandam ad prædam dicebant. Satis superq;  
 paratam per se, nisi terroretur difficultatibus, quas  
 sibi præfiguraret incognitis regionibus, ubi intelle-  
 xisset sine impendio sui, patere sibi accessum ad ter-  
 ras longe opulentissimas, & flumina, paludes, sal-  
 tus, mōtes, quorum transitum desperasset, nihil in  
 se terrible habere preter nomina, futuram subinde  
 Christianis multo grauiorem quam Turci, quos  
 eodem suo aliarumq; nationum non solum pericu-  
 lo, sed etiam exitio a Græcis ex Asia in Europam ac-  
 citos, uix quisquā postea sustinere potuisset. Et sera  
 tandem

DE VENETIS C O N . T V R.

tandem poenitentia intellectum, prestare a suis uincit, quam implorare auxilia, unde plus discriminis, quā ex bello immineat. Eamq; ob rem minime ob unius Veneti nominis siue discriminē siue ambitiō nem, reliquorū omnium in Europa salutem, in perniciē adducēdam. Vladislauiensis autem Episcopus, quia pertinaciter negare quicquam benevolis & amicis, pr̄sertim contra Christianę professionis hostes, tam turpe existimabat, quam periculōsum temere cōcedere ea, quā petebantur, rem totam ad arbitrium potentiū rei sciendam censēbat. Illos, post quam & per se & a Polono moniti attentius singula considerassent, sine dubio omissuros petere id qđ merito negandum sibi intelligerent. Qua sententia etiam a Rege comprobata, Callimachus paulo post ea, quia ita uisum erat tanquam rem minime aut Regi aut suis communicata, sic Veneto rescripsit, ut doceret merita Regum Polonię in Religionem nostram manifestiora esse, quam ut commemorare oportet, ingentiora quam ut satis laudari possent, studij deniq; ac pietatis pleniora, quā ut omnino quisquā foret illis comparandus in uoluntate rei Christianę seruandæ augendęq;. Casimirī eius qui tum regnaret parentem quidem cum Lituanis fidem nostram professum, non solum innumerabili multitudine eam auxisse, uerum etiam ceu munimento quodam sepisse, post quod, contra aduersariorum suorū impetus, tutus remaneret. Fratrem uero suum Vladis-

123  
Sententia vñ  
dislauiensis.

Scripta Calle  
machi ad Ve  
netos de Tar  
taris.

Vladis. Casia  
miri pater.

Vladis. fra  
ter Casimiri

Q

*Cesnurus.*

Iaum gerendis rebus contra Turcos in ipso ætatis ac fortunæ flore occubuisse. Ipsum deniq; Casimiri, licet non ignorantibus quas prouincias sibi quæ regna filijs suis subiecisset, ut uix credibile appareret quicquā, aut temporis, aut oīi sibi reseruas se, non modo ad agendum, sed ne ad cogitandum quidē de Religione, tamen pro illius incolumente multa interim gesisse ac gerere. Quę iure ac merito Venetis persuasissse poterant facile impetratu ab illo esse, nō solum de Tartaris, uerū etiam om̄e aliud genus opis & momenti contra Turcos. Quia tamē cum multa sint genera Tartarorum, necq; in literis, neque a Catherino ipso expressum fuisset assignate quos potissime actiōibus suis oportuos crederēt, minime uisum esse prius eam cogitatiōem Regi ac suis aperire q; pleniora significassent. Ut autem ad deliberationem accederent facilius, qualeque id foret quod petere instituissent apertius intelligerent, scire oportere. Tartaros nō quemadmodum uno uocabulo qui ubique sunt, complectuntur, ita etiam eodem in loco simul omnes agitare, sed longe lateque sub ipsum Septentrionem sparsos, alios in Asia sedes suas habere, alios in Europa, quoſdam in utriusque terræ confiūbus. Eos autem qui in Asia degunt, minime aliquando se in Europā trans ferre. Sed aut inter se, aut cum finitimi nationib; uersus Hircanum mare, & usque trans Imaum montem perpetua latrocinia uerius q; bella exerce-

*Multa Tarta  
rerū genera*

re. Incoz

D E V E N E T I S C O N T U R.

re. Incolentes autē Thauricā Chersonessum in Europa ab Asia abstinere, preterq; quod Cercetarum Zigorūq; littoralia trans Cimeriū Bosphorū Mornopisolis, atq; id genus Scaphis infestant. Medios autem inter utrōque uelut influxus aliquis ac refluxus Oceani, modo in hāc, modo in illam terram sese effundere. Ethyeme quidē cōuersos ab Occasu in Eurū uentū superato Tanai, progredi usque ad ripas fluminis Rhas, qui ab indigenis Volga dicitur, & inde secundo amne prope ad Caspium mare commigrare, recipiendo se a locis tum maxime remotissimo sole niuibus glaciebusq; obnoxijs, ad tēperatiora, in quībus passionis, aliarumq; oportunitatū copia hominibus simul & iumentis suppetat. Aestate uero easdē coeli terreq; cōmoditates ac temperiē, quā in Asia captauerant, uicissitudine anni conuersa cis Tanaim sequi, & ut paulo ante intensi ora frigora nimiosq; aestus euitantes, ad Boristenē redire. Cæterū ueluti locis inter se distant, ita etiam alia apud alios, tum frustra, tum ob rem aut sperare posse aut requiri. Omnibus quidem genus idem campestris uitæ in currib. & sub diuo esse. Eandē preterea ingeniorum horriditatē, corporū duritiē, frigoris, inediæ, sitis, aliarumq; humanarū necessitatū patientia. Nec minus predandi studiū ac pertinacia. Multitudinem autem & feritatem in Asiaticis maxime eminere. Armorum copiam & cōstantiam in prælijs apud alios maiore inueniri. Ab illis nihil

Cercete.  
Zigo.

Tanais.  
Rha flu. qu  
& Volga  
seu Volba

Boristene.

Q ij

P. C A L L I . H I S T O .

geri ex insidijs , nihil de hoste peti , preterq; quod in  
promptu sit rapientibus . Non ferro , non igne seu  
ri aduersus ea , quæ subito auferri nequeant . De-  
niq; in presens tantummodo prospici , necq; ex con-  
silio , sed ex uiribus & euentu , aut decus , aut uitupe-  
rationem factis attribui . Europeos , & qui uicissim  
anni tempestates , modo huius , modo illius terræ  
clemētiori secessu moderantur , prope ad nostram mi-  
litarem disciplinam accedentes , non plura impetu  
& armis quam cōsilio ac uirtute transigere , nec sem-  
per temere aut irrūpere , aut recipere se , sed insidio-  
se plāerūmq; & explorato copias ducere . Locorūq;  
ac temporis rationem aliquam habere sine occasio-  
nibus suis , sine alienis interturban dis . Et q̄niam pu-  
gnatum sit diutissime , pugneturq; quotidie ab illis  
quidem contra Rutenos & Moscouiensium ducē ,  
ab his uero contra Polonos , usu edoctos esse , nō so-  
lum armis , sed igne etiam hostium facultates corrū-  
pere , nec quicquam inter prēdandum inuiolatum  
relinquere , unde aut fiducia spoliatis , aut periculū  
ip̄sis creari queat . Itaq; uideri merito eorū operam ,  
ad id quod Venetianimo agitarent , non leue mo-  
mentum habituram , si adduci possent , ut conditio-  
nem subirent . Et uerisimile esse illos , qui sub Turco  
non longe a Caffa agitant , om̄ia facturos , ut libera-  
rent se a Tyrannide , qua durius premūtur quam  
ferre cōueniat eos , q̄ meminerint se de Turcis pau-  
lo ante toties triumphasse . Sed ut cetera omnia com-  
sentirent ,

Ruthenij,  
Moscouie  
Dux,

DE VENETIS CON. TVR.

Sentirent utiliter implorandos eos qui in Taurica  
sunt Chersoneso, tamen quia numerus eorum ne-  
quaquam ingens, minime ausu rostantum sibi one-  
ris assumere, & si maxime auderent, omnino nihil  
magnum moliri posse. Illis sane qui nūc in Europā,  
nunc in Asiam commigrant, armis & multitudine  
pares esse maximis bellis gerendis, sed minime pa-  
tere eis aditum ad inuadendum hostem in Thraciā  
et Macedoniā aliunde, quam per terras regni Po-  
loniæ. Quam autem periculosem, adeo ingentem  
& Christiano nomini infensam multitudinem, ad  
bellum instructam, in regnū accipere, planius esse  
quam ut foret declarandum. Se quidem credere Po-  
lonum etiam cum discrimine rerum suarum Religi-  
oni non defuturum. Sed consyderarent ipsi, quate-  
tenus amici Regis benevolentia uti oportet. Cæ-  
terum ueluti ea omnia auxilia, quæ animo concepe-  
rant, essent propter distatiā tarda, propter genti-  
um perfidiam ambigua, propter diuersitatē religio-  
num periculosa, ita tamen non uideri pertinere ad  
Christiani nominis Maiestatem, uel ad existimatio-  
nem sapientissime simul & potentissime Ciuitatis,  
spes in adeo ancipiū et prope pudendo genere opis  
collocare. Si operam simul & cogitationes intendis  
sent pacandis inter se Germanis atq; Hungaris, qui  
tam diu mutuo concertarent magis, quia utroq;  
primam mentionem pacis mouisse pudebat, quam  
quia nō nullos bellū maxime pigeret, sine dubio am-

Thracia.  
Macedonia.

Q iii

Poloni.

Callimachus  
ad Xistum,  
Pon. Ro.  
Mandata ad  
Venetos.

plexaturos occasionē simulandi exorta sibi arma q̄ uideri uellent sponte posuisse. Illinc postea tam efficiacia quam uera auxilia Religioni nostrae affutura. Quibus etiam sine dubio accederet Poloni, cui genti nulla penitus in toto orbe foret cōparanda ad id belli genus conficiendū, uel disciplina militari, uel multitudine armorum atq; hominum, uel communitate inuadendi hostem ex propinquō. Hæc aut his non dissimilia Callimachus scripsisset, mittereturq; paulo post Romanum cum mandatis ad Xistum Pontificem Maximum, iussus est uia secedere ad Venetos, ut auertendo eorum animos ab instituto, coram planius indicaret difficultatē exequē di cogitationes eiusmodi, & quantum periculi nō Polonis modo, sed cæteris etiam Christianis, uel ex sola mentione tali oriretur. Quomodo autem dissimulantius id fieret, adiectum est ad commissa de Tartaris, ut repetita ab exordio usq; beneuolentia, qua ḡes utraq; haec tenus inter se certauisset, persertim circa Christianæ rei tuitionem, cuius summa tunc maxime Venetis opibus inniteretur, diceret, ueluti non sine ingenti nominis sui laude publicum omnium fidelium discrimen propulsarēt, ita aliorum dissimulationem quotidie magis ac magis de Christiana maiestate detrahere. Quid enim aut sanctum, aut religiosum infideles sentire posse de sacrī illis, quibus qui essent iniciati, nullam curam gererent, quo minus per omne ludibrium

acde-

DE VENETIS C O N . T V R .

ac dedecus profanarentur : Multa prodita esse memoriæ de concordia , qua olim Christiani in Asiam atque Africam transmittentes bella infideli bus inferebant . Nec ulla magis causa insultari lentius ab hoste quam timore , ne acrius lacessendo irritaret , cogereturque subinde rem gerere cum uniuersis , amissa occasione subiungi libi singulos separatim . Falli si qui essent , qui aliena calamitate suam prolatando satis opis in semetipsis habere putarent , ubi reliquis subactis ad eos bellum peruenisset . Nam qui hodie pares uiderentur , multo futuros tunc inferiores , cum quicquid interim Christianæ rei adimitur , hostibus accrescat . Quibus una atque eadem nunquam cessatura causa bellandi aduersus Christianos omnes , quorum uiciniorem quemque subigere auctis exinde uiribus in alios statim ferri , & priori quaque uictoria ceu machina uti ad reliquos expugnandos . Vulgatum quidem paulo ante in Polonia conuenisse omnium Italicorum Principum Oratores ad Xistum Pontificem Maximum in Fulgineo , quo propter pestem ab urbe secesserat , agitatissimis illic de ratione obuiandi cōmunib . periculis & cupere Polonū scire quod exitu cōsultatio illa foret absolute . Inuitari em a Turco ad pacem , quā licet gerēdo cōtra Tartarū rē cōmodā sibi , tñ aspernaret si qd opis afferre posset ad ceterorū Christianorū conatus . Nec putare spestandū sibi ociose eius belli eventū cu s que plera

P. C A L L I . H I S T O .

Matthias  
Rex.

Responsum  
Venetorum.

& aduersa obiectum se statim ueluti in prima acie  
Tartaris ac Turcis per omnes sollicitū habere opor-  
teret. Cæterum quia & id futurę accepisset, orare ut  
siue quod s̄æpe antea fecerant instituissent ipsi, siue  
Italia omnis simul pecuniam mittere Matthiæ Hun-  
gariae Regi, darent operam, ne ea quæ pro rei Chri-  
stianæ cōseruatione impēderent, in illius exitū con-  
uerterentur. Regem quidem illum magnitudine,  
uirtute, rebus a se & parente suo foeliciter gestis, di-  
gnissimum cui tutela Religionis committeret, sed  
quod bona illius uenia dictum foret, per ambitio-  
nem & cupiditatem, iampridem nonnihil uelut a  
seipso degenerasse, ac prope omissa cura tuendi sua  
ab infidelibus conatus omnes cōuertiisse cōtra Boë-  
miam & Austriaṁ, quibus oppugnandis, si auxi-  
lia ei subministrarentur, tam iniquū esse c̄p pernici-  
osum. Quandoquidem eiusmodi intestinis certa-  
minibus omnis ratio simul & facultas Christianæ  
defensionis corrumperetur. Quæ postquam Cal-  
limachus Venetijs in Senatu recitauit, responsum  
est. Licet propemodum sero tandem Pontificē ali-  
osc̄q; Principes Italicos urgentiū discriminū curam  
aliquam subiijſſe, & uera esse, quæ de cōuentu toti-  
us Italiae consensu constitutum de pecunia Hunga-  
ro impēdenda. Cæterum nec Venetis, nec alijs fa-  
cti illius complicibus, cordi esse ea quæ in Austria  
uel Boëmia gerebantur. Placereq; mitti a Pontifice  
Maximo in eas regiones legatum, qui uideret ne pe-  
cunijs

DE VENETIS CON. T VR.

cunijis decretis ad bellum Turcis inferendum , alio  
os in usus Hungarus abuteretur . Deq; ea rescriptu  
ros se Oratori suo ad urbem , Polonum facturū ex  
sua maiorumq; suorū dignitate ac Religione , si tan  
ti spera pacificatione cum Turcis abstineret , donec  
experimētum indicaret , quantum efficaciæ demū  
foret habitura totius Italīæ conspiratio , contra eum  
hostem , quo cum sola ipsoꝝ Ciuitas tamdiu ancipi  
ti fortuna decertaret . De Tartaris missuros se Ora  
torem in Poloniam , qui ex commodo utriusq; gen  
tis cum Rege ageret , statueretq; quid potissimum ex  
pediret . Intelligere se Christianam rem nō posse aut  
conuentientius aut efficacius , quā a Christianis tue  
ri , nec nisi invitatos conuersos se ad Barbarorum au  
xilia , cū puderet iam pigeretq; toties ad id locorū  
frustra suos appellare . Et necessitas plura imperaret  
quā libera ratio experiri sualisset . Romæ subinde ,  
tametsi contra annitente cū Veneto , etiam prop  
ter res Australes Cœsareo Oratore Thoma de Ci  
lia , qui postea fuit Constantiensis Antistes , facile fu  
turum fuit impetrare de Legato , ad cuius arbitriū  
pecunia in Hungaria mittenda dispensaretur , tamē  
eo facilius concessum est , quo pronior quisq; ut reti  
neat sua ad usus sibi necessarios , quam ut eroget in  
alienos . Conuenerant enim illic Oratores omniū ,  
inter quos constitutum fuerat impendēdo Hunga  
ro bellum procul ab Italia souere . Assentiebaturq;  
libenter quilibet non solum ut adhiberetur arbiter

Acta Rome.

Thomas de  
Cilia.

R

*Donatus Acciolus.*

*Oratores  
Tartarorū  
Venetij.*

dispensatiōis, sed etiam si fieri posset, ut pecunia in-  
distributa remaneret. Censem̄tib. plerisq; in primis  
Florentinorum Legato Donato Acciolo, singula-  
ris prudētiæ ac doctriñ uiro, rem bonam pessimo  
exemplō fieri. Non defuturas em̄ subinde transmō-  
tanis Regibus extorquendi ab Italia pecunias ut se-  
mel quacūq; ratiōe accepissent. Qua opinio latius  
iactata ab inuidētibus rei Venetæ, cui potissime eo  
impendio succurri apparebat, factum est ut omnia  
in irritum uerteretur. Processerat interea Venetus  
Orator in Poloniā, quia dubiū erat, an Tartari con-  
ditionem amplexarentur, malebatq; Rex illos q; se  
uideri aduersatum oportunitati Christianorū, per-  
miserat, ut legatio ad eos perferretur. Facile igit fuit  
gerendis bellis, & raptu uiuere procreat̄ persuade-  
re, ut contra eam gentem quam sepe antea uicissent  
arma caperent, & in regionem prēda abundantē, ir-  
rupturi se accingerent. Itaq; reuertēti mox in patriā  
Veneto adiunxerūt Oratores suos, qui foedus cum  
Senatu stabilirēt, datis acceptisq; cōditionib., qbus  
militari oportet. Non adeo cōsensus Italiæ ad auer-  
tendum ab se Turcū iampridē Romæ, uel dilatos,  
uel omissoς ciuitatis animos deiecerat, quantū extu-  
lit Tartarorū aduentus. Omnes in curia & uulgo le-  
ticia exultare, demū iustum humanorū inspectore  
laboranti Religioni adesse dicere, suorūq; pios co-  
natus adiuuare, atq; eo per omnia certatim fana lau-  
des & grates illi agere, inuenitis ut credebāt belli so-  
cijs,

DE VENETIS C O N T U R.

cis, cum quibus ceu uincere facilimum ita minime  
communicandam uictoram. Nec dubitabant plae-  
rius affirmare, interfuisse Venetos amplitudinis, ut  
sine aliqua Christiana ope debellarent. Cæterum  
quo Barbarorum simul spem & fiduciam imple-  
rent circumducturi illos per urbem, priuatorum  
simul & publicorum ædificiorū, intuenda magni-  
ficentia, omnē diuiciaꝝ pompam in cōspectu exhi-  
beri oībus præcepere, nec solū apud officinas & sta-  
tiones negociationē, sed in uestitu quoqꝝ & ornatū  
ordinum singulorū. Instruxerant etiā copiosius fo-  
lito machinarū armorumqꝝ uarietate ac multitudi-  
ne mirabili, armentaria publica & nauale, ut non  
minus bellicis quam pacis opībus florere atqꝝ abun-  
dere intelligeretur. Paricꝝ subinde ostentatione cō-  
uiuum omni opulentia auri atqꝝ argenti ultra uete-  
rem ac nouū luxum affluētissimum illis exhibuere.  
Redituroſc̄ ad suos tandem onerarunt donis, qualia  
dedisse oportuit uolentes uideri omniū humanarū  
opum uelut horreū penes se esse. Ferunt inter tam  
multa natura sua spectanda, tum etiam de industria  
cōposita atqꝝ aucta in admirationē, uix quicqꝝ atten-  
tiore intuitu Barbaros expendisse, seu uitę humanaꝝ  
superuacula putauerint, seu naturalibus ac uilibus  
affueti preciosa non nouerint, seu maiori animo  
contempserint qꝝ possideri uidebant. Populi quidē  
ac Senatus tam publica quam priuata maiestate mo-  
tos constat, dixisseqꝝ ad summam fœlicitatem nihil

R ij

deesse illis preter amoeniorē urbis situm , detestati  
 squalorem ac sordes paludis , quam incolēdam de-  
 legissent . De ratione ac tempore progrediendi in ex-  
 peditionē , iactaris utrinq; multis , nihil certum de-  
 nicq; constitutum , præterq; fore , ut Venetus eorū  
 opera omnino uteretur , missurumq; haud multo  
 post qui ad rem gerendam reuocaret . Irent ergo  
 & pararent omnia quæ ex usu futura intelligebant .  
 Festinabat quidem animus ad ultimum rei pericu-  
 lum , tum quia grauissimo bello implicitis omniq;  
 alia spe nuper destitutis , minime uacabat pendere  
 diu in ancipiti , tum quia cupiebant ostentare se Itali  
 cis alijs & ueluti pœnitentiam incutere , quasi teme-  
 re resilijssent a communione belli , quod magnitudi-  
 ni sue nihilominus pari authoritate ac multitudine  
 hominum gereretur . Sed inter spem metumq; con-  
 stituti de Poloni uoluntate , in præbendo transitu ,  
 Quandoquidem Rex ille licet Religioni maxime de-  
 ditus , quia tamē humānū imbecillitatis uicio uideri  
 poterat proprijs oportunitatibus magis quā alienis  
 ad extremum tributurus , præsertim quod minori  
 uerecundia negaturus foret quam ipsi petituri , ut  
 status sui contempta ratione maximo cum discrimi-  
 ne curaret aliena , minime in promptu habebant ,  
 quod de Tartaris ex solido statui oporteret , priusq;  
 plane intelligerent quantum a Polono possent im-  
 petrare . Referente igitur Francisco Sannuto , Mari-  
 nī filio , cuius animi magnitudinē a natura produ-  
 ctam

Franc. Sannu  
tus.

DE VENETIS CON. T V R.

Etiam, erigendis cōfirmandisq; alijs, inter ancipites  
spei cōsultationes mors tam immatura quam mini  
me oportuna, haud multo post e medio substulit,  
Senatus censuit præmittēdum esse in Poloniam ad  
Regem, Bartholomeum Brandum, cui subinde ob  
uirtutem ac fidem domi expertam, Cretensem Can  
cellariam commisit. Sed tunc Respub. actis in mo  
numenta referēdis sub Phœbo Capella inter alios Phœbus Cæs  
pella.  
scriba, non sine aliqua eminentia uersabatur. Et ne Dominicus  
Georgius.  
quid more subasset, postea coeptis prosequēdis ius  
sus est etiam se parare. Interim Dominicus Georgi  
us, Vincentij filius, ut quam primum Brandus de  
inpetrato transitu renūciasset cum pecunia, de qua  
cōuentum pro stipendio illuc proficisceretur, simul  
de ducendo ultro Danubium Tartaro, simul geren  
dis rebus, postea Legati munera obiturus. Fuit em  
in Georgio, nam & ipse non sine publica iactura in  
primo senectutis aditu mortuus est, summa dexterit  
as in pretractandis hominum ingenij. Ad obeun  
da autē negotia par animi robur ac prudentia, easq;  
ob res credebatur Barbarorū ferociam, prout us  
postulasset facile posse, aut comitate sua aut consilio  
a temeritate prohibere. Profectus igitur non mino  
ri celeritate q; patribus cordi esse intelligebat. Bran  
dus ubi Cracouiam uenit, introductus in Curiam  
ad Regem, ita uerba fecit. Si Veneta Respub. p glo  
ria & imperio suo dilatādo cum Turcis decertaret,  
tamen si multa Rex inclite ad hanc diem precesserint

Verba Ora  
toris Veneti  
ad Polonum.

R ij

## DE VENETIS C O N . T U R .

documenta egregiæ uoluntatis suæ erga te , ac tuos omnes , ob quæ iure forsan liceret , tamen minime auderet tale quicq; a te pro amplitudine sua petere , unde oriturum rebus tuis , uel exiguum discri men uideref. Sacius eīm̄ putat nulla beneficia conferre , q̄ subinde repetere ea cū perniciose amicor̄ . Sublatāq; esse causam arbitraref cur quispiam succurri ad tē-  
pus sibi uellet , si multo grauius postea referēda gra-  
tia foret periclitandū . Sed cū suscepereit , nō tam suū  
q̄ alienum bellum , a quo qui præteriri uidētur , dif-  
feruntur ut grauius demū oppugnent , nō adeo cre-  
di debet negotiū suū agere , q̄ tibi ac rebus tuis pro-  
spicere , suadendo , ut malis iam nunc amice Reip. cō-  
iunctus , ceu nubeculæ unius modicū imbrē subire ,  
donec amicor̄ opes expugnent , referuare te solū ,  
subinde intolerādis segrissimę tēpestatis p̄cellis uexā-  
dū atq; obruendū . Nisi forte supatis Christiāis alij̄  
aut firmiorē te ad resistendū , aut finē Turcis oppu-  
gnandi futur̄ arbitraris . Fuerat sane ipes ab initio  
Venetiis fore , ut qđ maxi e decebat , ne Christianus  
eis nō adesset , faciētēsc̄ ex se cōieclurā q̄tū cōseruan-  
dis immortalitatis suę mysterijs quisq; impensurus  
credi oporteret . Videbāt maiores aliquñ q̄ p̄ mō bel-  
li copias conuenturas , sed frusta sepius imploratis ,  
modo uniuersis , mō singulis , q̄rū intererat , tametsi  
pudendū ac periculo sum apparebat , tamē quia sibi  
p̄suaserant latius esse rem Christianam q̄cunq; mō  
defendere , q̄ plane desertam relinquere , tuitionē  
illius

illius cū aduersarijs cōmunicauere. Nec sane hac  
nus infōeliciter. Quandoquidē Rex Persar̄ cū quo  
paulo ante foedus percussere facta in Armeniam im  
pressione nō solū cōuertita Christianis in se Turcū,  
uerū etiam magnis cladib. affectū haud mediocriter  
debilitauit. Sed cū par sit credere Persam ea aggres  
sum magis, ut equo iure pacē sibi q̄ Christianis ui  
ctoriam de Turcis paret, uidēt Venetiū præoccupā  
dū esse. Et qm̄ fideles cessant, undecunq; spes, fortu  
na, ratio obtulerit, cōtrahenda auxilia. Eamq; ob rē  
nequaç; ignorantes esse qddam ceu naturale, certe  
implacabile odiū inter Tartaros et Turcū, crebraç;  
et magna bella inter eos gesta. Miserūt nō multo an  
tea p̄tentatū illor̄ aīos, qui q̄stum p̄ Oratores suos  
renūcianere, seu insita cōtra gentem inuidia, seu spe  
mercedis moti, cupiūt in Thraciā ac Macedonia de  
scendere, Turcos pculdubio illinc exterminaturi.  
Sed q̄a trāitus ad ea loca nō aliude patet, q̄ p̄ regnū  
tuū, licet consyderantib. nō tua q̄ sua intereste pelli  
Europa nationē, qua eque Christianis oībus exitiū  
imminet, minime dubiū esse oportuit, te nihil nega  
tur q̄iculis tuis p̄sertim quib. adiuncta ultima Reli  
gionis necessitas, maluerūt tñ prius ad arbitriū tuū  
referre, q̄ pollicerentur de te, uel ea quæ nō minus  
tibi dare q̄ illis accipe sit oportunū, ut beneficij loco  
cedat id qd si foret præoccupatū credi potuit a neces  
itate tua extortū. Vidēt sane Venetiū, eorū qui tran  
situiri sunt multitudinē, arma, pfidiā, rapacitatē.

si prima fronte inspiciantur posse sollicitudinem in-  
cutere. Sed præter id quod talis uictoriæ fructus di-  
gnissimus est, qui etiā per anticipitia petatur, nec sie-  
ri potest, ut sine periculo periculū superetur. Con-  
stat etiam sic transmitti posse per extrema regni tui,  
iuxta Euxinum mare, ut nullum omnino, aut tibi,  
aut tuis, uel damnū, uel discrimen inferat. Sed neq;  
a deo hebetes & inconsyderati sunt Tartari, quod  
in progrediendo nihil de redditu suo sint cogitatu-  
ri. Et cum in armis nati minime ignorent bellorum  
anticipites euentus. Nullo modo credi oportet præ-  
cisuros sibi opem recipiēdi se in tutum, si uinci pre-  
lio cōtingeret. Eamq; ob rem sine dubio inter eun-  
dum ab omni iniuria temperaturos existimandū.  
Quod si nihil habet transitus suspicium, multo  
est minus redditus pertimescendus. Nam si, quod  
optabile puto, uictores redibunt, aucta Christianæ  
foelicitatis maiestate, nihil contra te committere au-  
debunt. Victos autem atq; armis exutos, sua cala-  
mitas ab insultando cōtinebit. Maiores tui uiri Re-  
ligiosissimi non dubitauere, conuertere eam gentē  
ab alijs cōtra se, ut a tergo eorum Christiana res ue-  
luti post munitissimum propugnaculum tute agita-  
ret. A quibus uero id quod incredibile est degene-  
rare uelis? Quod te facere conueniat dubitare non  
potes, maxime cum petatur, nō ut oppugnes tu Re-  
ligionis nostræ hostes, sed ut ire illos permittas ad  
id prælium in quo utrauis acies uictoria trucidet.

Victoria

DE VENETIS CON. T V R.

Victoria pertinet ad Christianos. Atque ut negari minime possit, genus hoc remedij non nihil in se habere, propter quod ad alia si supersint confugiendum fortasse uideatur. Quandoquidem non tam anceps est quam unicum. Si omittitur quo nos tandem conuertemus? Quippe quod nullae uspiam Barbarae nationes de quibus tale aliquod sperare conueniat. Et Christiani iampridem opem suam adeo pertinaciter negant, ut non solum inane, sed stultum etiam sit iterum ad eos configere. Igitur cum plane eo res deducta sit, ut aut cedendum sit hosti, ut hoc auxilio resistendum, constetque satius multo esse agebro atque audendo periclitari, quam per ignauiam & metum tuto agere, quippe quod uirtutis etiam infelix exitus, gloriā suam habet, timor uero et socordia utcunq; prospere cesserint turpitudine non uacent, sine dubio prestat periculose defendi, quam metu incerti discri minis certissimae calamitati se subiungere. Quod si quod præter id quod expedit casus attulerit, necessitas quam uoluntatibus simul et consilijs mortalium imperat, factū expurgabit. Possent alia multa in hanc sententiam dici, nihil enim efficacius domesticis & familiaribus tuorum exemplis, quibus nullus unquam rei suarum respectus fuit, ubi Religioni nostræ succurrere oportuit, sed & tua priora facta ad illorū imitationem quacunq; oratione apud animum tuum uehemētius stimulare te queunt. Atque ideo finē uerbis meis imponens, illud tantummodo adiecerim,

S

P. C A L L I. H I S T O.

pulcherrimam tibi oblatam occasionē sine tuo aut  
tuorū aliquo uel impendio uel labore consequendi  
gloriam conseruati Christiani nominis. Tibi em̄ in  
primis salutē suā debeat necesse erit. Quandoquidē  
per quos seruareſt a te maxime acceperit. Sed & alio  
rum Regū ac Principū Christianorū, qui a submit-  
tendis auxilijs suis ad hoc bellū se retrahunt, factū  
& si non fortissime, tñ defendi potest, quasi facultas  
eis nō uolūtas desit. Tu si alienū opē retardaueris,  
minime credibile fuerit, alia te quapiā, uel necessita-  
te uel ratiōe fecisse, q̄q̄ alienatus a tua tuorūq̄ soli-  
ta pietate Christianæ rei, uel sine tua opera succurri  
nolueris. Ingens Regis ac suorū cura orationē Bran-  
di excepit. Nec dissimulata est inter muslantes in cō-  
filio quorundam indignatio, quasi Callimachus ne-  
gligētius q̄ oportuerat Venetos ab eiusmodi postu-  
latione retraxisset, pluresq; subinde dies uehementi  
oribus studijs q̄q̄ ciuilis ferat consultatio, de ea redi-  
sceptatū est. Multi namq; asseuerabant Venetū nil  
aliud quærere eo motu, q̄q̄ ablegare a se bellū qd nec  
ferre posset, neq; quo cū cōmunicaret, inueniret. Si  
cogitaret debellare aduersus Turcos, minime adie-  
cturum fuisse animū ad auxilia Tartarorū, q̄s sciret  
sine ulla orniño cōstantia preliandi, tantūmodo p-  
occasions larocinari. Se tueri spe, fore exinde, ut  
Turcus mutata belli ratiōe, uim suā totam cōuerte-  
ret in Polonos, q̄ cōcepta pace, abs se oblata, Tarta-  
ros cōtra ipm immisissent. Quā Dei, quā hoīm opē  
postea

Consultatio  
Polonorū su-  
per postula-  
tis Venetorū

postea tam procul a Christianis alijs, inter Tartaros  
 ac Turcos peditantes sibi re promitteret; cū uideret  
 Venetos destitutos a proximis quibusq; sine q̄rū pe-  
 riculo tā uinci q̄ uincere non possent. Sapiētissimos  
 semp habitos Italicos atq; etiā esse. Eamq; ob rē nō  
 oportere credi eos temere se retrahere a cōtagiōe tā  
 ancipitis belli. Nec posse uicio Polonis uerti, si pa-  
 cendo reb. suis, imitarentur alios Christianos Princi-  
 pes, imprimisq; Pont. Max. cuius est p̄cipuū & pro-  
 priū munus uidere, ne detimento aliq̄ Christiana  
 res afficiāt. Cōmemorabanturq; ad hæc uexatio &  
 tumultus, quib. subiūciundum foret regnū, tam in  
 pgressu, q̄ in reditu, tantq; & tam incōditæ multitu-  
 dinis. Atq; id quoq; uel in prīmis ceu maxie uitā-  
 dum iactabat, ne Tartaris, dum producere ad op-  
 pugnandum aliena uellent, ad inuadēdum sua iter  
 simul & facultatē demonstrarent. Ad extremū dice-  
 bant, plusq; salua uerecūdia, postulari ab eis posset  
 Polonus iamdudū p̄stare Religiōi oppugnando  
 assidue Tartaros, nec esse tantū Venetis trībuendū  
 ut pp̄ter ipsos alio se bello implicarent aduersus eū  
 hostē, qui et uicinus esset, et pp̄ter diuiciar̄, impe-  
 riū ac rerū gestarum famam etiam ab lōgissime degē-  
 tibus nequaq; irritandus censere. Multis rationi-  
 bus extra turpitudinē posse incipiendi necessitatē  
 declinare. Retrocedi autem postea ab incepto sine  
 multa indignitate minime liberū fore. Euenturūq;  
 ut qui de æqua pace suscipienda tunc deliberarent

P. C A L L I . H I S T O .

ubī propter difficultates quē bello annexē sunt co-  
pissel facti p̄cenitere ultro quātumuis iniquissimas  
conditiones subirent. Vladislauensis autem & ple-  
ricp̄ alij, non quo consilio Veneti ea molirētur, sed  
quid suę rationes postularent consyderandum cen-  
sebant. Et si in pace atque ocio tute ac decorē agere  
possent, minime res suas secundas cum alienis peri-  
clitantibus coniungendas. Sed uideri sibi rem trans-  
actam agi. lampridem enim genus & naturam belli  
eius coniunxisse ipsos non Venetis modo, sed qui-  
buscunq̄ alijs Christianis qui oppugnarentur, nec  
uoluntatis esse, sed Religionis uel pugnare uel absti-  
nere. Ceterum in abstinendo præter turpitudinem  
*Re*  
*dilatatio Belli*  
*cauacitatem bellorum*  
inesse tantummodo dilationē calamitatis tanto cer-  
tioris, quanto facilius futurum, ut soli tandem quā  
cum alijs tunc simul iunctis uincerentur. In pug-  
nando autem multa esse que tam fortuna q̄z virium  
consiliorumq; societas repromitteret. Atq; ideo cū  
neq; fas esset, neq; tutum ut uacaret, tantummodo  
agendi tempus adhibendum. Et quoniam in eo qd  
necessario aliquando fieri oporteret, minime aliud  
quippiam liberum haberent, q̄z decernere, fieret ne  
statim an paululum differretur totam deliberatio-  
nem eo conuertendam, ut ex præsentī simul & mox  
futura rerum suarum conditione secum statuerent,  
mallent ne integros, & sibi atq; alijs opitulari ua-  
lentes bellī socios habere, an debilitatos, & qui præ-  
ter periculū nihil deniq; allaturi essent in cōmune.

Multo

## DE VENETIS C O N T U R.

Multo est facilius stantem retinere ne cadat, q̄bq; ingēti ruina prostratum erigere. Si nō solū integra, sed etiam florente tunc Venetorū re, irent cum eis obuiam discrimini, mox utcunq; cessassent, affuturo, multa & magna præsidia, utroq; ex alteris habitu-turos. Nec in reueandis socijs, qđ post casum esset difficilimum, sed in delēdis hostibus operam simul & consilium fore insumendum. Quę omnia in con-trarium uerterentur, si per inanem metum eorum quæ multo minora essent q̄bq; fama perhiberet euitantes ultro inuadere, expectarent propulsare inuadētes. Occurrentum esse crescenti indies incendio priusquam seipsum alendo ad eam magnitudinem perueniret, ut mīnime humana ope restinguī posset. Remedias ad id locorū uerius non tentata esse, q̄bq; nō inueniri. Nec uilla re magis, q̄bq; resistentium negligētia, Fortunā ac nomen Turci hactenus creuissle, nec diutius stare, q̄bq; inuenirentur qui impugnare au-derent. Cuius rei quod aliud argumentum quæren-dum, q̄bq; ipsos Venetos, tot iam annos suis opibus atq; auspicijs om̄es illius contra se conatus facile re-tudentes. Nihil omnino speciosius Polonis con-tingere posse, quam conseruatæ Religionis laudem cum tam inlyta Repub. habere cōmunem. Quam occasionem, etiam si subito ad arma discurrendum, atque in aciem foret prodeundum, tamē occupare attineret. Expeririq; potius quantum uires & fortu-na eorū, plaudere & gloria possent, q̄bq; de uita & liber

S iji

tate demum sine alicuius ope decertare. Optimū cuiusq; ac bene instituti esse minime abnuere periculū suo ad decus, & claritatē noīs puenire. Ex quo intel ligī oporteret quantū a uerē ratiōis intellectu aber rarēt, si id suo cū discrimine uelle deberent cū alieno assequi recusarent. Quo pertinatius a cæteris Chri stianis cessaret, eo uehemētius annitendū, ne hostis per hūmōi contumaciam illos singulatim subn̄ceret, quos cōiunctos tentare nō auderet, et tunc maxime alienis uitījs, q; uirtute sua fretus oppugnaret. Habere quidē pfectiōne ac transitū Tartarorū nō nihil in se quod cū cura & dexteritate tractari oporteret, idq; factū esse facilimū. Nam quē dicerētur de regi one ab illis inter p̄grediēdum exploranda, sero de nicq; iactari post innumerabiles ex ea gente captiuos qui diu in seruitute habiti, nec tñ in una atq; altera parte, sed in om̄i prope angulo regni uersati, tandem ad suos refugissent, cū iam nihil eorum ignorarent quæ hostib; occultari solerēt. Sed & per cōmertiā negotiatorū, q; quotidie ultro citroq; cōmearēt tam liberū q; facile fore cum uoluissent singula in toto re gno ociose speculari atq; expendere. Quod ad pacē Turci attineret preterq; q; uerius dilatio quædam interitus q; remedū dicenda, posse adhuc uerbis ac dissimulationib; multis extrahi. Quandoquidem Venetus nihil peteret, præter ea quæ ob priuatum periculū suū minime credi deberēt concessisse. Hæc et similia uenetiis semper pluribus in sentētiā, crebro

cerbro iactata. Expugnauerat tandem in animo regis, cætera oīa quæ deliberationē extraxerant, præterq; de uexatiōe regiōis, sine qua apparebat adeo numerosam latrocinijs assuetam multitudinē mīni me, p̄gredi aut redire posse. Et iam nemo uidebatur aduersatus postulatis Veneti, si quo pacto inueniret q̄modo q̄ minimo impēdīo ac discriminē reū atq; hominum Tartarus transmitteretur. De qua cū pro ingenio suo multa multi in mediū afferrent, & nihil tamē ab om̄ibus probaret, oportune Callimachus ab Urbe egressus, ubi planū fecit nihil a se, uel agi uel dici prætermissum, quod quidem Venetos ab eo proposito reuocaturum appareret, mīnimeq; mirandū esse, si apud rerum suarum satagētes ualuisset plus necessitatis, qua premerētur ratio q̄ uerba sua, cōmemoratis expeditionib; quas tam uetus tamē recentioribus temporib; Tartari in Asiam duxere, docuit, quandoquidē ex consuetudine sua soliti recipere se per Sarmatiā Asiaticam, uersus Hircanum mare ad extrema Iberiæ qua Colchidi cōmittitur, faciliorem simul & p̄pinqiorem per ea loca accessum habere, extirpando in Asia, id est a radice ipsa Turcorū imperio ac noīe, q̄ si cis Tanaī per Euxini littora circumducerentur, pugnaturi demū illis in locis, in quibus utcūq; res p̄sperae ageret, fructus tamē & preciū uictoriæ inter uincēdum foret corrumpendū. Minime em̄ ubi tot fero cissimarum gentium immanitas ac rabies mutuo.

*Callimachi  
reditus.*

debacchata esset, superfuturū aliquid , propter qd  
non potius subinde pœnitendum certauisse, quam  
gaudendum uicisse . Nullius magis q Venetorum  
interesse, ut possessa cis Hellespōtum a Turcis quā  
integerrima recuperarentur. Eamq; ob rem multo  
magis probaturos cōmitti inter se Barbaros in Asia  
q; in Europa. Illic sine Christianorum iactura dum  
mutuo inter se immanissimē gentes digladiarētur ,  
affuturam Veneto liberā occasiōnē nō modo inua-  
dendi, sed etiam occupandi omnia, que Asiatico pe-  
riculo acurrentes hostes præsidij euacuata ubiq;  
in Europa reliquissent. Facile a Polonis oībus Cal-  
limachi ratio probabat, simul quia uera, simul quia  
tollebat omnem suspicionem presentis alicuius uel  
damni uel incōmodi. Cōstabatq; uerisimilius pur-  
gaturos se apud Turcum, q; facti imprudētes, si nō  
per regnum ipsorū, sed per diuerissimas regiones .  
Tartari contra illum progrederentur . Interea autē  
Veneti, seu ferentes maligne Pont. Max. alios Prin-  
cipes destituisse a cōsensu retinendi procul ab Italia  
Turcorum arima: seu bellum, in quo paulo post cō-  
tra eos ab omnibus fere Italici coniuratum præsen-  
tientes, iam tunc ex eo, quia finitimi caprātibus oc-  
casione, ceu in domo opprimendi impiicitos exter-  
nis expeditionibus mari atq; terra: seu fessi nō tam  
gerendis rebus quam frustra concitando alios ad re-  
ligionem defendendam, cum intolerabilibus utiq;  
conatibus ac uiribus, Scodra iterum circumfessa a

Veneti cum  
Turco pacē  
incunt.

Turco

DE VENETIS C O N . T V R .

Turco oppugnaretur, de pace cū illo conuenerāt. Inter tot tamen præsentes, & mox instantes difficultates in primis conuenerant, ne quid non cum sua dignitate tractaretur. Eamq; ob rem noluerant ab aliquo qui in Ciuitate emineret, tantæ ac tam oportunæ rei mentionem primam moueri, sed submiserant Ioannem Darium, Græcū hominem, ut simulatione aliqua uiam ad id quod intēdebant pateficeret. Is, qui utpote multos annos in Veneta Cācellaria uersatus, græco ingenio grauitatem simul & sapientiam Italicam adiunxit, insito genti contra Latinos odio p̄motus, ferensq; pariter præse spem tam gratiæ ineundæ, q; premij cōsequendi, multa apud Turcū præfatus de magnitudine Imperij illius, de fama rerum quas gessit. Nihil minus ad utrumque p̄tinere dixerat, q; uictoriæ suæ rectū cursum in scopolos & saxa inaccessa, quæ Veneti partim in terra, partim in mari possideret deflexisse. Præter id enim q; maiori unumquodq; sumptu ac labore, quā uel fructu uel laude foret expugnandum, prius sibi ac suis omnibus consenescendum quā singula adiret. Remorariq; interim fœlicitatem suam, tum uilesceare apud omnes ubiq; nomen & authoritatem, quibus tunc maxime florentibus facilime posset nō solam æqua, sed ingentiora quoq; periculis ac laboribus premia consequi, si omissis Venetis qui classe, milite, diuithjs ac repugnandi usu pares forentreb. Suis defendēdis, cōuerteret se in alios, qui imparati

Ioan. Darius

T

stremes, trepidi, nedum belli impetu, tantummodo famam non essent toleraturi. Illis autem subactis Venetos demum non materiam belli, sed victoriae premium accessuros. Quae tunc a Dario copiosius pro singulari facundia sua, propter rerum oportunitate explicata, non adeo quia uera uidetur, quam quia Turcus contra Soltanum festinabat, popularant, ut permitte retagi cum Venetis de pace, cuius fama in Poloniâ perlata, cogitatione simul & oportunitate molienti tunc plura cum Tartaris interrupt. Quam rem Poloni egredierunt, uel quia spem conceperant eo modo posse Imperium Turci facile omnino exterminari, uel quia remansuros se interim domi quietos uidebant, si Tartari in tam longinquam expeditionem procul a regno proficiscerent. Ex eoque ingens similis occasionis desiderium mansit in animis fere omnium. Deseruerat postea bellum, quod ad Ferraram, & in Cisalpina Gallia commiserat cum Italicis alijs fere omnibus. Venetum reuocatum ex Graecia, apparebatque ipsum subinde maiestate sua abunde tutum futurum interficimus a quibus tam uehemetibus conatibus paulo ante frustra tentatus fuerat. Et ob id suspicari poterat minime repudiaturum conditionem communandi arma contra infideles, si ceteri Christiani posita priori aestimatione una cum illo mouere instituissent. Igitur Turco de pace, cuius conclusio superiori anno dilata fuerat, cum Polono iterum agente, seu quia adiecerat, ut credebatur, animum ad subiiciendam

D E V E N E T I S C O N . T V R .

ciendam sibi uniuersam Valachiam, in qua duo ma-  
ritima Emporia Lycostomum & Moncastrum pri-  
us occupauerat, seu quia bis acie uictus per ea tem-  
pora in Syria, pacare cūcta in Europa, & uires suas  
omnes illuc conuertere uolebat, seu quia uulgatum  
erat fratre suū extorrem apud Rhodianos in Hun-  
gariam uētūrum, acturumq; illinc de recuperatiōe  
debitē sibi successionis, auxilio Matthiæ Regis. Et  
timebat Polonus cum illo coniuraturos. Callima-  
chus Regi persuasit, uenisse tempus, quo uel per sce-  
dus ineundum, recuperarent ut amissa in Valachia,  
uel inductis Venetis ad resumendum arma, Turci  
tota Europa pellerentur. Dimittendos esse cum spe  
ali qua Oratores, qui de pace uenerant, subindeq;  
petendos Venetos, ut arbitrandi inter partes nego-  
ciū assumerent, inituri ab utrisq; gratiā, in primisq;  
a Turco, qui minime pacis mentionem inferret, si  
necessariam sibi esse non intelligeret. Propter rescō  
tra se gestas maximam esse Venetorum authorita-  
tem apud Barbarum, qui ubi uidisset ea quoq; quæ  
in Polonia agerētur, humani ingenij uitio oīa cum  
timor urget in deterius auertentis, crediturus foret  
Venetos aditū nō tam Polono ad pacē, q; sibi ad bel-  
lū querere. Eāq; ob rē ne irritaret nō concedendo ca-  
que illis æqua uiderent, & simul moliendi contra se  
arma distrahendique gemino bello copias suas, cau-  
sam sibi ipse præberet, nequaquam pertinaciter ad-  
uersaturū, censentibus Lycostomū & Moncastrū.

Suadet Calli-  
machus ten-  
tari animos  
Venetorum  
ad resumen-  
dum arma cō-  
tra Turcos.

T ij

ceu pignus ineundi seruandiqꝫ sine dolo foederis,  
Valachore restitu oportere. Quæ ratio si parum pro  
cessisset, Venetos, quibus tunc ab omni alio bello,  
non solum ocium, uerum etiam securitas summa es  
set, ubi eis spes subīceretur de Tartaris oportune  
in Pontum descensuris, nullo modo prætermisſu  
ros occasiōem cum Polonis inuadendi, atqꝫ oppri  
mendi hostem, iam tum a Soltano maximis stragi  
bus prope ad rerum suarum desperationem, nō de  
bilitatum, sed confectum. Ut autem maiori au ho  
ritate negocium illis proponeretur, in animo uero  
Turci grauior perturbatio, & suspicio simul excita  
retur, si intellexisset nō solum Polonos, sed Germanos  
quoqꝫ ad Venetum se cōuertisse. Demonstran  
dum esse etiam, Cesari nihil ad res suas erigendas ef  
ficacius, quam ceu consentiētibus & mox accessuris.  
Polonis implorare illum cōtra impressionem, qua  
Matthias Hūgariæ Rex Austriam uexabat. Sine du  
bio nancqꝫ, si inter turbatam Christianā Rempub.  
Venetus se opponere decreuisset, ex duobus alterū  
euenturum. Aut enim Matthiam tam potētissime  
Ciuitatis authoritatī minime aduersari ausum, suis  
contentum, postea quieturum, aut tam multorum  
armis statim succubiturum. Quorum utrū magis  
expediret haud facile dici posse, Quadoquidē Chri  
stiana res pacato illo fortior, sublato illo multo tran  
quillior futura esset. Et admonendum in Turcum  
Venetos, tam hoc quam illud efficacissimum appa  
rebat.

DE VENETIS C O N . T V R .

reret. Non facile credebatur quosuis talis consilij rationē cōmode explicaturos. Itaq; placuit Regi Callimachum ad Cæsarem , ac subinde Venetias legatū de rebus eiusmodi proficisci . Ut tamen cum aſteue ratione maiori omnia utrobicq; tractarentur, Collegas duos ex primoribus Polonorum illi addidit. Erat Cæſar tūc Coloniatē reuersus a Coronatione filij sui Maximiliani, cui per eos dies ad imperij societatem admisso , Romanorum regnum commiserat . Itaq; ubi cum Callimacho Polonus ad se Legatos nouit, quia credebat illos ceu discriminū propinquos timere incremēta Matthiæ Regis, a quo tunc præsertim res fœliciter in Austria gerebatur, conceperat spem maximam, uenire ut illius conatus uiribus & consilijs communicatis reprimerentur. Quo uno modo fortunas suas facilime in integrum restitui posse sentiebat. Igitur ad eum cum uenissent, incredibil gratulatione accepit. Cognitis autem quæ attulerant, & si non plane quod cupiebat proponeretur, tamen quia eundem finem uidebat, facile consensit experiri. Nec sane multum intererat, recta a modo circuitu peruenire quo uellet. Præsertim q; quicquid more intercessisset antequam inciperetur, conficiendi celeritas uidebatur postea compensatura . Cum minime dubium foret, quin uno ceu momento Matthias extermīnaretur, si cōtra ipsum Veneti cum Cæſare ac Polono simul arma induissent. Designati igitur qui cum Polonis Venetias proficisci

Legatur Cal  
limachus ad  
Cæſarem  
Venetos

Maximilia-  
mus.

Matthias  
Rex.

*Legatio Cœ  
saris et filij  
ad iūgitur Po  
lonis ad Ve  
netos.*

*Bernardus  
Polemus.*

*Hermolaus  
Barbaro.  
Domi. Triui  
sanus.*

renf Tridētinus Episcopus, Ioannes Inderbachius, Bernardus Pergerius, & Georgius Ellecheri. Quia nō constabat Maximiliani nōmē, ppter res in Gal lia dubium magnificentius, aut foelicius ad id tem pus gestas, magnum esse, uidebaturq; adepto Romanorum regno longe grauissimū pondus autho ritati suæ accessisse, illius quoq; Oratorem paternis adiūgi placuit, Electusq; est ad id munus obeundū Bernardus Polemus, uir non solum nobilitate generis, sed ingenio quoq; ac singulari iuris peritia in signis, Venetijs, tametsi frequentia Oratorum quotidie illuc confluentium uelut ad præsidium cōmu nis omniū gentiū equitatis, merito poterat iam pri dem uta rebus cōsuetis auertere animos Ciuitatis, ne alicuius aut Principis aut Regis Legatorum aduentum magnopere, uel expenderet uel miraretur, tamen ubi cognitū est tot simul ab illis mitti, in quibus nihil impune negligi posse constabat, omnes in expectationē conuersi sunt, ac dum secum quisq; & cū alijs cōiectando causam requirerent, quāuis spes erat amicissimo uenire, tamē etiā exinde cōciliādos arbitrati, & simul beneuolētiæ mutuae argumentū exhibēdum, cōmisere Prætoribus urbium per quas iter facturi erant, ut cum dignitate & cura ubiq; ha beretur. Hermolao autem Barbaro, & Dominico Trīuisano qui tunc potissime mittebant gratulatū Maximiliano ppter regnū ad quod fuerat euectus iniunctum, ut si in itinere uenientes offendissent, publico

D E V E N E T I S C O N . T V R .

publico nomine complecterent ac salutarent. Quod  
Patauij fieri contigit, non sine uoluptate simul & ad  
miratione illorum, propter orationem ab Hermo-  
lao habi tam, rebus quidem ac tempor i accommodo-  
datam, sed in primis elegantia & copia uerborum  
maiori qaudire antea cōsueuissent. Postremo missi  
cum Nicolao Georgio, Bernardi filio, ex Patriciorē  
ordine, plāriqz etiā alij uiri splendidissimi, qui ap-  
propinquantibus ciuitati accurrerent, contestatiqz  
publicum ex aduentu eorum gaudium inducerent  
ad hospicium in ostentationem usqz opulentissime  
rebus omnibus instructū atqz ornatū. Quod ubi sa-  
etum est postridie ad Senatū cū uenissent, mutua sa-  
lutatione dicta simul & accepta, ubi consedere, Tri-  
dentinus Antistes, qui erat Cæsariæ legatiōis Prin-  
ceps huiuscmodi orationē habuit. Credo ego ante  
hac, multa huic Vrbi foeliciter contigisse, que Maio-  
ribus nostris simul & nobis maxime læta fuerint.  
Nec enim potuit ad hanc puenire authoritatis ac re-  
rum magnitudinē, si suorē ciuium uirtuti formā ab-  
fuisset. Nihil tñ esse puto, qz plus ueri gaudij aliquā  
do huc inferre potuerit, quam legatio hæc nostra.  
Quippe quod prospera alia, maxie circa humanas  
facultates, cum eueniūt, tātummodo opes augent,  
quibus uarie fortuna dominatur, nec tanta lætitia  
contingunt, quanta sollicitudine possidentur. Lega-  
tio autem nostra, quando exinde ortū habet, qzod  
summi in orbe uiri dignos esse uos cēsent, ad qz nō

Nicō. Geor-  
gius.

Cæsarei Ora-  
toris ad Ve-  
netos Oratio  
grauiſſima

tam de rebus q̄ de uniuersi prope humani generis  
statu referant, gloriam uobis parit immortale, qua  
sapiens quilibet, longe, longe magis q̄ diuitijs gau-  
det nec immerito. Ille enim in malis æque ac bonis te-  
mere inculcatur a fortuna, estq; ipsarum fructus la-  
bilis, tum si maxime diuturnus perseueret, uitæ ta-  
men spacium non excedit. Hæcautem non nisi opti-  
mum quenq; res sequitur, utpote manans a virtute  
constansq; est & firma. Nec solum uiuētem ornat,  
sed in omne etiam æuum ad posteros se diffundit.  
Soliditatemq; & splēdorem accipit a uetusitate, qua  
cætera maxime corrumpuntur. Itaq; quo diligentii  
or habenda ratio de perpetuis ac stabilibus, q̄ de ca-  
ducis ac momentaneis, tanto acrius animum inten-  
dere debetis, cum agitur de gloria uestra, q̄ si agere  
tur de facultatibus. Quarum despiciēt laus fere  
semper coniuncta est, cum uera nominis claritudo  
minime aliquando sine flagitio negligatur. Quanq;  
ea de quibus acturi uenimus, non tantum eo spe-  
ctant, ut dignitas & gloria uestra crescat, Sed ut im-  
periū quoq; magnitudo propagetur. Quod quem  
admodum futurum sit, facilius erit intellectu, si pau-  
ca quædam ex præteritis commemorauerero. Nouit  
plane Cæsar, uel in primis suū esse tueri rem Chri-  
stianam, contra infideles, nec sine rubore quodam  
uidit uos paulo ante laborantes, cum ceu munere  
ipsius occupato, & totius Europe, publicam defen-  
sionem priuatim sustinendo, commune omnium  
fidelium

DE VENETIS CON. T V R.

fidelium hostem non tam nostris finibus submotū  
q̄ intra suos constrictum tenebat. Ceterum, quia  
ūicinitas non sinit uos ignorare quicq; eorum quæ  
phos annos facta sunt & fiunt in Austria, nōputat  
adeo oportere repeti ea que uobis nota sunt, de cau-  
sis ob quas muneri suo simul & periculis uestris nō  
affuerit, q̄ inire consilium, per quod ubi usus post-  
hac exegerit, facile adesse queat. Est enim sapientis  
preteritorꝝ extimatione prospicere futuris. Et ut mi-  
nime inter secundas res contraria optare debet, ita  
quasi uentura semper extimescere. Quod cū in om-  
nibus seruandum sit tum maxime in his quæ a prin-  
cipio animaduersa aut tractata secordius, non facile  
deum corriguntur. Ceterum, si quando præter-  
missum fuerit malorum initis occurtere, non ideo  
perseuerandum potius in negligētia, q̄ maioribus  
conatibus subinde resistēdum, ceu Medici faciunt.  
Morbū em̄ qui nascens leuiter curari potuit, ubi  
ad perniciem creuit, remedij quibuscūq; etiam an-  
cipitibus aggrediūtur. Videatur fortasse cōsultatio  
hec tardius haberi quam oportuit, sed robur Chri-  
stianæ rei solidius fundatum est, quam ut ad despe-  
rationem statim labefactari potuerit. Nec preterijs  
se opitulandi rationem, sed dilatam esse hactenus,  
dicendum. Si quid uero ultra negligeretur, iam pla-  
ne non ex periculo, sed ex calamitate foret, cui nulla  
postea uel ratiōe uel facultate succurri queat. Video  
equidem, dum modo hec, modo illa causa Christia-

similitudo.

nos atteros tenet a coniungendis opibus contra cō  
mune discrimen, multa hostem occupasse, ex quib.  
non nihil viribus suis additum, nostris uero detra-  
ctum esse apparet. Sed in illis omnibus plus omni-  
no nominis est q̄ rei. Quid em̄ nostris temporibus  
aut fuit, aut deniq̄ remāsit, uel in Thracia & Mace-  
donia, uel in prouincijs alijs, quas Turcus in Europa  
occupat, quod aut ademptum nobis magnopere  
uitres nostras extenuasse credatur, aut adiectum ho-  
sti afferre possit cōflandis gerendisq; bellis magnū  
aliquid montatum, uel opum, uel hominum mu-  
titudine? Quandoquidem om̄nes illæ regiōes iam  
pridem tam uastæ sunt & incultæ, q̄ in quib. simul  
cum bello continui quoq; latrocinij, manus, ferrū,  
ignis, licentia grassantur. Si data esset optio maluis-  
sem sane illas quoq; nobis incolumes mansisse, si  
non adminicula saltem ornamenta rerum nostra-  
rum futuras. Nunc quia transacta reuocari neque-  
unt, nec iam periclitantur ea sine quibus esse possi-  
mus, minime uel differre uel dissimulare quicquā  
licet. Nam si id quod fieri cœptum est, uera præsi-  
dia & fundamenta Religionis nostræ euertentur,  
ruina non tam hosti aditum patefactura est nobis  
opprimendis, quā statim inde sua ipsa nos obruet.  
Quæ quidē calamitas eo periculosis nobis immi-  
net, quo difficilius latētibus q̄ aptis malis succurrit.  
Haud em̄ ab hostiū viribus adeo intentatur, quib.  
tanq; manifestis ire obuiā liceret, q̄ insidiose obre-  
pit,

## DE VENETIIS CON. T V R.

pit, nō modo remedia nostra, sed cōsilia etiā, nisi ex  
pergiscamur prōoccupatura. Nam cū sit in Matthia  
Hūgarię rege infinita insaciabilisq; cupiditas ampli  
andi quaqua uersus regnū suū, nec satis fidat uiri  
bus proprijs, si que cōcupiscit integra aggrederet,  
instituit Turcorū opera & manu uti, debilitandis  
prius illis, cum quibus mox aggredi cogitat. Quæ  
cūq; aut̄ Turci sibi subiectū nō tam pdita esse, q; ceu  
deposita apud illos credit, quasi facilimū futurū, si  
libuerit, postea cūcta recuperare. Huic adeo discri  
mīose ac nepharie cogitationi q; obsistere posse im  
primis Cæsarem uidebat, si auctoritate sua, Christi  
anos ad pariter repugnandū induxisset. Eamq; ob  
rē cōuersurus animū ipius a publico ad priuatū pe  
riculū arma in Austria mouit. Nec alia uel spe uel  
cōsilio illic tumultuaē, q; ut neq; ipse tanq; occupa  
tus imploretura Christianis alijs, neq; Cæsar illis  
adesse queat. Interea uero Turcorum successus ma  
teriam & quasi iter prestruat ad eam regni amplitu  
dine, quā sibi ille temere rēpmittit. Ex hoc fonte, q;  
quid calamitatis uspiam, per hosce annos, Christia  
ni subiere, pfluxit. Hinc Turci bis iā per suburbā  
na nostra grassati, tametsi incurrendo tam procul a  
finibus suis per hostiles terras scirent se a tergo reli  
cturos tot montium angustias, tot saltus inuios, in  
tra quos facile includi a paucis, & sine ferro, huma  
nis tantummodo necessitatibus necari possent.  
Quod nequaquam ausi forent, nisi permisso &

consilio illius qui patrare poterat, ut salue reuerteretur. Ingemuit sane nō Cæsar tantum, sed omnes patriter Germani, ubi cognitum est uastari a Turcis Italiam, a qua ciuilioris uitæ instituta, bonarum artiū notitiam & simul diuinorum omnium rationem se accepisse, & illinc pendere sciebat. Sed quid faceret, cum si parumpet a periculis suis oculos auertissent, Hungarus fuerit statim illos oppressurus? Cæterū per id tempus, ueluti Cæsar oportunitati uestræ minime accurrere poterat, ita frustra futurum uidebat si maximo bello implicitos ad aliam quamquam actionem implorasset. Nūc uero quando benignitate Dei immortalis, Respub. uestra, terra mariq; pacē habet, optat quidem Cæsar, ut ea uobis solida sit et perpetua. Sed impensius admonet, occultum malū immissum iampridem ab Hungaro intra Christia næ rei uiscera, paulatim exedere corpus ac ueluti tabe conficere. Neq; adeo oppugnari se nunc in Austria, quā id agi, ut Matthiæ praua cupiditas ad exitum quem sibi proposuit, uenire possit. Qui tamen armorum suorum fiducia deceptus eodē incendio quod in aliorum perniciem fouet, paulopost sit cōflagratus. Non enim si par est prodēdis Christiani opibus, ideo etiam instaurandis sufficit, cū prodere sit cuiuscunq; restituere autem in integrū, nō nisi fortunæ ac facultatum maximarum, quales uirtus & fœlicitas uestra uobis aggerauit. Et nūc illud curat, ut ad opes et potentiam ad quam uos extulit,

tantum

tantum gloriæ accumulet, quantum sæpe uotis con-  
cipitur, rarissime autem impetratur. Quid enim huic  
qua fruimini tranquillitati ac rerum omnium opu-  
lentiæ speciosius contingere posset, quam tot Prin-  
cipes uiros, ipsumq; Christiani nominis caput pro-  
fiteri, situm esse in uobis, an tollantur e toto orbe si-  
deles, uel maiestatem suam & decus recuperent? Fue-  
rit fortasse uobis aliquid difficile in gerendis rebus  
cōtra Turcum, sed quis labor, quod impendium,  
quæ pericula tanti esse potuerūt, ut nō bene exbau-  
sta sint pro assequenda extimatioe quæ uobis remā-  
sit, non dico inter uulgares, sed in confessione eorū,  
qui cum primi uideantur & sint inter mortales, præ-  
ferendo modo uos sibi manifeste indicant, plus ali-  
quid uirtutis & fortunæ in uobis esse, q; haec tenus cō-  
tingere hominib. cōsueuerit. Vestrū igitur sine du-  
bio est, opinioi huiusmodi nō deesse, sed quo plus  
quā alijs posse ac pollere putamini, eo acrius anniti-  
ut uera de uobis credi rebus ipsis cōprobetur. Atq;  
inde etiam impensius, quod non solum ad præsen-  
tem gloriam uestram cōfirmandam id pertinet, sed  
ad futuram quoq; in omne euum propagandam.  
Quanta enim cū laude, admiratioe, necesse est com-  
memoretur a posteris, uestra authoritate ac uirtute  
inter ceterorum omnium desperatioes Christianū  
nomen ab interitu aliquando conseruatum? Sed &  
maxima reb. uestris exinde securitas accedet. Quip-  
pe, q; nemo unus postea illos tentare sit ausurus,

In quibus sciant satis auctoritatis atque opis fuisse  
uniuersis protegendis. Non oportuit sane, ut dixi,  
quicqz negligentiae cōmitti in his per quę aditus pa-  
rabatur ad fidem nostram extinguedam. Sed illa ne-  
glecta sunt, quæ nō statim exi tiū afferebant. Quic-  
quid eorū quæ supersunt expugnari cōtinget, tale  
est ut solum perire nō possit. Sed saepe iam dico casu  
suo cetera oia sit oppressurū. Si uos ex transactis mi-  
nime uel expendere uel timere futura uolētes cessa-  
ueritis, fatetur quidē Cæsar, necqz in se necqz in alio  
quopiam spei quicquā superesse. Verū si uentura  
proudētes animū erexeritis, ueluti certe debetis eri-  
gere, ut pro gloria & amplitudine uestra tantū au-  
deatis quantū Deus immortalis dedit ut possitis, ui-  
der plane mox fore, ut quæ adempta sunt oia Chri-  
stianis ubiqz iterū subjiciantur. Nec facultas solum  
sed spes etiam precidatur infidelibus moliendi con-  
tra nos aliquid in futurū. Immature tamē, non mo-  
do actio, sed etiam cogitatio susciperetur aduersus  
illos priusqz reprimātur machinationes Hūgarorū  
qui nō ut Turci directa fronte, sed oblique ac per in-  
sidias grassantes ad idem naufragiū rem Christianā  
occulte impellūt, ad quod illi rapiūt manifeste. Tol-  
lendi autem malī eiusmodi duplex est ratio, alte-  
racqz ex auctoritate nostra pendet, altera ex uiribus.  
Si auctoritas opitulando efficax esse potest, dignius  
omnino est remedium & leuitate nostra & professi-  
one Christiana, tum etiam magis conductit futuris

actio-

DE VENETIS C O N T V R.

actionibus, ut in extorquenda pace ab Hungaro, non præconsumantur tempus ac uires, quibus est infidelibus occurrentum. Quod si ille modestiam ac modum cupiditati suæ imp onere noluerit nunquam uel iustius uel pro maiori gloria cōsequenda bellum suscep istis, quam si iūgentes uires uestras cum Cesareis paci simul & incolumenti Christiani aduersantem exterminaueritis. Quid enim dici ex cogitariue potest, in quo arma nostra aut conuenientius, aut gloriosius possint uel debeant se exercere & seruando seruare ab interitu Christiano nomine. In cæteris enim quibuscunq; actionibus, tamet si iuste ageretis, q; atq; circa priuata uestra uersaretur non adeo animorum uestrorum æquitas ac uirtus eluceret, atq; in ista, ad quam communi Christianoruū omnīū utilitate accessisse constabit. Sed neq; seruandis augendisq; nostris tantum gloriæ inesse pot quātū seruatis alienis, p̄sertimq; uniuersis. Ab hac enim deliberatione, aut salus aut exicium manaturum non in Germaniam solū, sed in cæteras q; regiones agentes, quæcunq; fidem nostram profittetur. Maxima prorsus ac diuina laus, & cui postq; seu fatū, seu fortuna Cesari eam inuidet, nemo penitus inueniri par queat præter magnitudinem uestram, quæ Virtute sua, nobilitate, rebus gestis dignissima est, cui tot Principes ac Reges Maximi, tot florentissimæ quoque Respubli- cæ Christiani nominis, debeant cum libertate

cætera omnia, quæ hominibus aut usui sunt, aut de  
cori. Quandoquidem gloriā si auersare minī iure accu  
sari possitis. Quod nō magis iniustius est qui q̄ am  
bitiōem inuadit laudem qua sit indignus, quā quā  
aspernatur & deserit eam quam meretur. Est profe  
cto Rex Matthias audax & confidens, sed non igno  
rat q̄ impār sit futurus, si tot simul cōtra ipsum con  
spirauerint. Eamq̄ ob rem sperare possumus cessu  
rum uestræ authoritati, minimeq̄ recusaturum uo  
bis arbitris dare & accipere tales pacis conditiones,  
quales tempus ac ratio instaurandę simul & firman  
dæ Christianæ in columitatis exposcūt. Quod si cō  
munem æquitatem simul & periculum aspernatus  
tergiuersari maluerit, statim primo conatu obruet,  
tanto maiori spe Religionis nostræ ad maiestatem  
pristinam efferendæ, quanto expeditius erit postea  
mōliri, sublato ex toto quā modice represso impedi  
mento. Possem hic iam recensere, quantum autho  
ritatis simul et roboris obligatis nobis beneficio no  
stro Principibus tam uicinis tam maximis, ac pri  
mæ apud om̄es dignitatis, partim subito Reipub  
uestræ accedit, partim paulo post gerēdis rebus cō  
tra Turcos. Quandoquidem multa possidetis tam  
in terra q̄ in mari, unde ex propinquo gerere pari  
ter atq̄ alere bellum commode possitis. Propterea  
uero quod classem habetis pr̄eter omnes numero  
sam, nec solum paratā, sed etiam exercitatam iam  
pridem contra id genus hostes, nemo est qui de fru  
ctu uicto,

DE VENETIS C O N . T V R.

Et uictoriae plura sibi ac maiora repromittere ualeat. Sed nolo uideri quicquam efficacius ad uos mouendum quam ueram gloriam, ac beneficiendi studium & consuetudinem. Quanquam ueluti facturum recte nihil aliud quam facti pulchritudinem sibi proponere oportet, ita si premium aliquod exinde contigerit minime decet aspernari. Quemadmodum dixisset Tridentinus, Bernardus Polemus regis suae statu, res gestas, facilitatem talia esse inquit, ut magnopere Veneti se conciliare uelle deberent. Reip. namque ipsorum quem uirtutis ac bonorum omnium artium fundamētis subnixa facile immortalitatem sibi polliceri possit, & simul cuiusdam quasi libramenti instar gereret inter Christiana regna unoquoque in aptissimo mutua firmitatis temperamento retinendo, nihil oportunitus excogitari posse amicitia & societate eius regis, qui iuuenis esset, & ad bellicas actiones non minus peritus atque impiger quam audax & fortunatus. Amicitiam quemque inter bonos esset, robur & soliditatem accipere a perseverātia & diuturnitate. Eamque ob rem illas praeципue inesse attinereque maxime ut diu durare posset. Propter uarias autem actiōes quibus implicentur necesse est, qui non rerum suarum, sed pene omnium fideliū simul curam & tutelā substineret, magnopere expedire, ut promptissimo atque exercitato cuique in agendo cōiuncti forent. Multa executus præterea de commodis, quae his qui non solum benevolentia, sed etiam uicinitate

Verba Orationis Regis Maximiliani ad Venetos.

coniungerent, propinquitas subministrare posset ac  
 toleret, non tantum in ocio & pace officijs cōmutan-  
 dis, sed in bello etiam siue inferendo siue propulsan-  
 do, cū nō tanq̄ ex duobus regnis diuersis ad mutu-  
 as oportunitates foret cōueniendū, sed tanq̄ ex uni-  
 co ubicunq̄ res uocasset preſto simul ſemper eſſent  
 & accurrerēt. Adiecit nō oportere memoria preteri-  
 torum retrahia ſpe rei melius gerendę. Nihil aliud  
 obſtitiffe prius quo minus Christiana defenſio q̄to  
 decuerat conſensu & apparatu ſuſciperetur, quam  
 Matthiæ regis machinationes & conatus, modo in  
 Boēmiā, modo in Austria. Postquā ille aut co-  
 ercitus foret, aut ſublatus e medio, quoniam Chri-  
 ſtiani abundarēt omnibus, quæ tam facilem quam  
 certam uictoriam præbitura uiderētur, ſine dubio  
 etiam concordiam affuturam. Cæſaris ac filij anthonio  
 ritatem multis modis uel inuitos attrahere poſſe, ſi  
 qui rebus suis intenti eadem qua ſuperiori tempo-  
 re diſſimulatione uti iſtituiffent. Ad extreμū mul-  
 to magis rei ac nomini Veneto conducere, præo-  
 cupata laude conciliatorum inter ſe Christianorū,  
 una cum illis aduersus infideles procul ab Italia pu-  
 gnare de alienis, quam Hungarum, ubi quantum  
 cogitaret virium ac facultatum ſibi adieciſſet, grauiſ-  
 ſimum hostem prope ante oculos Ciuitatis, & ne-  
 lut in ſuburbanis igne ac ferro debacchantem, ſub-  
 mouere. Poloni uero ſubinde, cum planum feciſſe  
 fent propter iuſtus quibus a Tartaro ſine inter-  
 miſſione

## DE VENETIS CON. TUR.

missione aliqua laceſſeretur, nihil minus regno ſuo  
expedire potuiffe, quam ſi aperte Turcico etiam bel-  
lo ſe cum Venetis simul implicuiffent, Christianis  
cæteris pertinaciter abstinentibus, oſtendere plus  
cum ualuiſſe apud ſuos diſcrimen in quo depræ-  
hensa Veneta Repub: laborabat, quam respectuſ  
aliquis incuſionum, quæ ab hoſte domi eis immi-  
minebant, paratoſcq; fuſſe ſemper quācunq; adire  
diſſicultatē priuſcq; diſſicili tempeſtate implorantes  
ſe deſererent. Eamq; ob rem nunq; uel modice du-  
bitaffe curare atq; expedire, qualia cunq; illi oportu-  
na ſibi eſſe nunciаſſent. Tametsi pleraq; eiusmodi  
forēta quibus prouocari statim Turcus potuifſet.  
Quid enim futurum ſi preſenſiſſet. Polonos naua-  
re operam Veneto concitandis Persis, & ſimul im-  
mittendis in Cappadociam ac Pontū Tartaris, qua  
una gente nullā in toto orbe aut magis odiſſet pro-  
pter clades ab ea acceptas, aut uehementius reformi-  
daret, propter multitudinem ac ſe inuadendi opor-  
tunitatem. Mutatam quidem eſſe fortunam, &  
qui maximo, nec alij cuipiam tolerando bello pre-  
mebantur, in ſumma eſſe pacis tranquillitate. Po-  
lonos tamen perſeuerare in ſolita uoluntate grati-  
ſicandi eis, quicquid foret, quod aut uiribus, aut  
authoritate præſtare poſſent. Et licet malebant Ve-  
netarum rerum conditionem eam eſſe, quæ nul-  
lius ope indigens, facultatem maximam haberet  
opitulandi quam plurimiſ, tamen ſi quis parum

secundus uentus extra portum diutius in periculo  
ipsos agitasset, nihil in mora futurum fuisse quo mi-  
nus accurrent tuituri strenue, quacumque nauigij par-  
tem commisissent. Cæterum non quia prospera ip-  
sorum intercipiebant causam alicuius periculi ade-  
undi, ideo uoluntatem Polonorum minus gratam  
esse oportere. Tyrannici enim & male instituti ani-  
mi, non Venetorum esse, metiri modum debendæ  
gratiæ potius ex opportunitate subeundorum discri-  
minum, quam ex beneuola uoluntate animorū. Nec  
superesse facultatem aliquam benemerendi de foeli-  
cibus, si nullum meritū nisi in propulsandis aduer-  
sis agnosceretur. Sine dubio aduersus fortunam in-  
gratos in se uero iniquos habendos, si censerent ad  
expendēdum aliorū erga se animos magis pertine-  
re iuuari inter contraria accidentia quam colī rebus  
florentissimis. Ad extremum si ita animati essent ut  
putarent inania gratulatū studia cum prospera om-  
nia adessent, neminem non mala eis imprecaturum  
ut foret unde gratia ab illis iniretur. Quod si nequæ-  
fas esset neque expediret minus deberi fauentibus in  
tranquillo, que auxiliātibus in tempestate, Polonos,  
qui nequaquam in periculis a Veneto se auertissent, &  
tunc præter omnes felicitati gratularentur, iure ac  
merito sperare, suaque res uicissim curæ illi fore, daui-  
rumque enixe operam, ne ipsius tam consilium quā  
opportunitatem secutos, pœniteret uel dilatæ, uel co-  
temptæ pacis, quam Turci antea obtulissent, & tūc  
maxime

maxime offerrēt. A qua amplexanda tametsi bona id fortassis uenia fieri licebat, quando Venetos q̄c̄ iam sibi cōsuluisse, tamen abstinuerant, putātes nō cōuenire certum quicq̄ statuere, priusq̄ aecepisset iudicium illorum & uoluntas, in quorum gratiam ad eam diē rem totam extraxissent. Propterea quod adeo s̄æpe eiusmodi mentio a Turco inferretur facile intelligi illum quidem sollicitudine uersari. Polonis autem in expedito esse peruenire ad æquas fœderis conditiones. Videret ergo Venetus q̄d diu pacem seruare uellet, & qua ratiōne ipsos de rebus suis statuere oporteret, ut simul ac necessitas postulasset, nihil impediret, quo minus uires & consilia cōmunicare possent. Si uideretur fœdus ad tempus expedire non deesse Polonis, quo pacto id commode tractaretur. Cæterū sperare maiora quædam impecrari posse, adhibito uelut arbitrio, sub quo discep-tarent. Orare igitur per ea que p̄ecesserant merita, nec minus per spem futurorū, ut id sibi assumerēt, missaq; ad Turcū de rebus eiusmodi legato summā gratiā sibi conciliarēt tam ab illo qui pacē defyderabat, q̄ a Polono q̄ ab ea nō abhorreret si oportunā censerēt. Minime dubiū Venetorū authoritatē tan-ti esse apud Turcū, q̄ etiā reb. suis florētib, nequaq; illis magnope aduersaret. Nunc quando p̄pe ad ultimū discrimē fœlicitas Soltani eū adduxisset, quo cūq; impendio curaturū adimere omnē occasiōnē Christianis, q̄ ad arma ipsos cōcītatura uideret. Ex-

indeq; spēfieri restitutur. Lycostomū et Mōcastrū  
q̄ maiorī sumptu & periculo, q̄ uel gloria uel emolu-  
mēto possideret, idq; omnino satius ducturę q̄ po-  
nere se in discriminē amittēdi oīa, q̄ usq; ditionis suę  
haberet in Europa. Exq; illis q̄ a Celsare nūciaren̄ pū-  
tarent oblatā occasiōne maiore quam ut ppter duo  
Emporiola forent amittēda. Polonos nullā cōditio-  
nem recusaturos conādi & moliēdi q̄cunq; allatura  
crederent momentū aliqd euertēda fūditus dira gē-  
te ac nefanda supstatiōe, que tot iam annos in Religi-  
onē nostrā ppe impune grassarē. Tartaros etiā uim  
omnē suam q̄cunq; Polonos suafisset conuersuros,  
quo uel unico genere auxiliū nomen Turci facillime  
deleri ubiq; posset. Ereverat Senatus mire anios ad  
uerba Oratorę, cū iam tum uelut obuersaret oculis  
tota agēdorę species, & uix mēte cōciperet prēmia si  
mul & laudē uictorię de Turcis reportandę, si una  
cū Hūgaro aut psuaso aut coacto, tot pariter Reges  
maximi Venetis uirib. adiūgeren̄. Et gāudebāt oēs  
oblatā sibi occasiōne reprimēdi opes & conatus Re-  
gis, cuius cogitatiōes iam pridē suspectę erāt, tā pro-  
pter ueteres similitates & disceptatiōes de finib. in-  
ter Venetū atq; Hungarę, q̄ ppter nouam affinitatē  
paulo ante cū Ferdinādo Rege nō aliā magis ob cau-  
sam initam ab ipo, ut credebat, q̄ ut haberet in Italia  
q̄ cū machinari ac moliri posset, si qua in pncipiē Ve-  
netorę aio agitabat. Sed neq; obscurū erat infremu-  
isse superiori anno, & multa palā se penumero minarę  
plena

**Cogitationes  
Senatus audi-  
tis Oratorib.**

Ferdinandus  
Rex.

DE VENETIS CON. T V R.

plena p̄ indignationē iactando effudisse, postq̄ sen-  
serat pecunia q̄ ex decreto Italcorū oīm, qui Xisto  
Pont. Max. cōuenerāt in Fulgineo ad eū mitti opor-  
tuerat, retentā fuisse, cuius rei emuli substituerant  
Venetos autores. Itac p̄ cupiebat Senatus obijci dif-  
ficultatē aliquā illi in reb. suis domi, ppter qd foris  
ab alienis auerteret. Sed cū uideret ppter etatē et na-  
turā Cesaris nō minus discriminis esse in huius semi  
li et cunctatiōi dedito ingenio, q̄ in illius feruido ac  
prepropero suscipiēdis simul atq̄ obeundi bellicis  
actionib. nō statim absolui potuit cōsultatio, sed in  
dies plusculos p̄tracta est. Interea Princeps morbo  
īplicitus, cū rumor esset grauius oīno egrotare, q̄ ut  
cito posset cōualescere, causam p̄buit Tridētino ac  
Legatis alijs adeundi Senatū rursus indicandi, q̄to  
periculo Cesari postulaturū euentū expectaret. Esse  
em̄ sibi cōsilia & ratiōes alios aduersus hostem suū,  
sed p̄tulisse illa per q̄ nō solū reb. suis, sed in uniuers-  
sum Christianis oībus cōsulere. Non posset tam-  
diu pendere in ancipiti, ppter acerrimos in se cona-  
tus, occupandū cz genus aliud defensiōis, si Venez-  
tus ab his quae proposita forent se retraheret. Roga-  
re ergo inirent rationem tollendi moram respon-  
dendi, si quam Principis ualitudo esset in iectura.  
Ad ea Senatus maximopere molestam Ciuitati ad-  
uersam Principis ualitudinē, nō quia esset in Rep. p  
aliquid quod absente illo recte administrari non  
posset, sed quia decentius & maioricum dignitate  
omnia cū presens fore absoluueret. Esse em̄ in eo

Dux ægrotat

Cesarei de  
Poloni Ordin-  
tores rursus  
ad Senatum.

Responsio  
natus.

prudentiā incredibilē cū diuturno ciuilium rerum  
experimento. Et multum maiestatis ac decoris a capite, Senatui ac cæteris ordinib. accedere. Cæterū si  
qñ consiliū, decor et maiestas in Rep. uisa essent, tūc  
maxime uideri propter dignitatem legatorum, qui  
conuenerant, & simul propter grauitatem eorum,  
de quibus agebatur. Quoniam uero ita casus tulis-  
set, non ideo prætermittendum respondere illis,  
quæ beneuole nunciata essent a Principibus maxi-  
mis, uicinis, amicis, & quorum prospera & aduersa  
omnia, Resp. Veneta semp sibi cōmunia existimat-  
set. Igitur quod attineret ad bellum contra Turcum  
gestum, si quid in eo factū foret, quod a Cæsare pro-  
baretur gratissimum esse Venetis omnibus. Quan-  
doquidē nō alia magis causa id susceperant, q̄ ne re-  
ligio nostra sine defensore esset donec ceteri Christi  
ani oēs parare se simul et accurrere ad cōmune discri-  
men possent. Quā rem licet segnus q̄ oportuerat,  
expediri animaduerteret, interpretariq̄ factum su-  
um maligne, non tamen a cceptis retrocessuros suis  
se, si illi a quibus subministrari auxilia conueniebat  
tantū modo satis duxissent abstinere, nec insidiati  
occupationi, quæ aueros in Græciam tenebat, Ve-  
netorum res in Italia labefactare instituissent. Libe-  
ros quidem a ceteris actionibus non oportuisse ui-  
ribus suis diffidere. Sed & Persas sibi iam tum con-  
iūctos & Tartaros mox assuturos suisse. Necq; adeo  
a bello se retractos, q̄ a uictoria. Ex quo facile intel-  
lectu,

DE VENETIS C O N . T V R .

eccl, in uitos se ad pacem inclinasse, nec fore aliquātū, ut negarent aut operam aut facultates suas Christianę defensioni. Suscitare quidem in animis ipsorum ea quę deposita essent, magnam spem aggrediendę rei ordine, & apparatu oportuno, tamen quia expectarent, haud satis respondere opinioni, quęcūq; de studio ac pietate aliorum in Religionē sibi repromisissent, minime audere statim se prorsus fortunę cōmittere. Et quamuis Cæsari, sentientibusq; cum eo multum tribuerent, nō minus tamen reformida re cognitam in periculis suis paulo ante multorum cōtumaciam, quorum animos prætentandos cense rent. Cum Hungaro quidē per eos dies pacem firmasse, sed minime ōnes exinde aditus obfessos ad salutem Christianę rei expediendam, si nihil aliud restaret a quo terrori possēt, ne arma induerēt. Nec defuturos in tempore, si uidissent Cæsarem cum suis eam uiam ingressum, per quam sequi ipsum uel possent uel deberēt. Ex quibus intelligi uolebant, minime psuaderi sibi, Cæsarē tanto aut animo aut cōstantia cōtra Hungarum moturum, quāto oporebat, pro rei simul & iniuriarū magnitudine. Neq; alia ratione aut causa retrahi se ab incipiēdo q; timore, ne destituerentur in actione. Cæterę si Cesar strenue aīcedere coepisset, gnauiter subsecturos.

A tractanda autē concordia abstinentū putabant, nō tam quia iniiri posse desperarent, q; quia inter se sua uidebant, Hungarum occupari qualicunq;

Bello, ne per ocium uacaret sibi nouare aut moriēre  
 aliquid cōtra eos. Polonis uero responsum est libē-  
 ter ut equū erat p amicis & beneuolis suscepturnū Se-  
 natum curam expediēdi, quantū autoritas sua pro-  
 desse illis apud Turcum posset. Deberi id non solū  
 beneuolentię, qua se mutuo prosequerentur, offi-  
 cijs ultro citroq; inter se collatis ad id locorum, ue-  
 rumetiam spei multakum rerum, quas postea cum  
 Polono communib; auspicijs Veneti se gesturos  
 augurabantur. Eaq; fuit causa, ob quam cum discess-  
 sissent post triduum college, habito responso Calli-  
 machus supra duos menses in Ciuitate remāsit, ex-  
 pectans quid renunciaretura Veneto Oratore ex  
 Constantīnopolis, ad quem de rebus Poloni Sena-  
 tus se scripturum affirmauerat. Post discessum Le-  
 gatorū ingrauescentē quotidie morbū iampridem  
 effoeta Prīcipis aetas haud diu ferre potuit, secutac;,  
 est octauo Prīcipatus sui mense illius mors, non si-  
 ne ingenti luctu ac moerore Ciuitatis. Multæ enim  
 egregiæq; partim populares, partim Senatoriæ in eo  
 uirtutes, oībus eque ordinib; charū reddiderāt. Nā  
 populus quidē p se benignitatē illius et clemētiā,  
 Senatus uero cōsiliū ac puidendi acumē summe di-  
 ligebat. Vterq; simul sapientiam atq; æquitatē mai-  
 stati tanti uiri debita ueneratione admirabat. Quo-  
 niam uero ea Ciuitas nō solum magnifica ducendis  
 Prīcipum suorum exequijs, uerumetiam proper-  
 modum singularis apparatu & genere Ceremonia-  
 tum,

*Moritur dux  
Venetus.*

D E V E N E S T I S C O N . T V R .

rū, uisum est tam ex his , quæ uel ante uel post mor-  
tem eius qui tunc obijt dicificari ue contigerint, quā  
de ordine ac ritu funerationis pauca inferere. Igiter  
pridie quam uiuendi finem fecit , accitos ad se filios  
ita allocutum ferunt . Inter ea quæ parentes liberis  
suis moriendo relinquunt, nihil sine dubio specio-  
sius claritate nominis ac gloria , sed nec quicquam  
onerosius. Pecunia eīm & cætera uulgo chara, splen-  
dorem potius accipiunt, quam præbent si recte pos-  
sideretur. Tum sine culpa euerti plærūc solent, nec  
semper illorum uice turpitudo succedit. Gloria nec  
haberi sine summo decore, nec sine maxio flagitio  
imminui potest. Atc ut ornat & uenerabilem facit  
ad quem peruenit, ita si parum strenue soueatur,  
degenerantis a se prauitatem lumine suo illustrat,  
atc ostendit magis . Ex quo intelligere debetis ma-  
gnam recte agendi necessitatem, uobis a me impo-  
sitam , qui sedulo operam dederim , ut hæredita-  
tem magis gloria , quam diuitijs pollentem ex me  
acciperetis, dictis factisque iuestris omnibus, lucem  
inde accessuram . Rectis quidem ut clarius niteant,  
contrarijs ne latere ualeant. Eamque ob rem esse a  
uobis identidē cogitandum, non cū pulchrū sit pa-  
tre amplissimo nasci, sed quantū oneris exinde filijs  
incumbat rebus magnis ac præclaris pro his qui be-  
neuolentia , uel sanguine coniuncti sunt, sed im-  
primis pro patria obeundis , ut testificāda demum  
uirtute ipsorum potius, quam detestāda secordia,

Verba mori-  
turi Duci ad  
filios.

argumentum ex splendore patrio adducatur. At si  
suos quantumuis locupletari current, ego abunde  
uobis omnia superfutura confido, si paterna simul  
& uestra innocētia, fide, probitate clari eritis. Tum  
me uobis chariorem fore semper existimauī, si glo-  
riæ plus uobis q̄ auri reliquissim. Vestrū erit enixe  
conari, ne parum sapienter cogitasse, neue non acu-  
tissime, quales euasuri essetis p̄uidisse dicar. Et quo-  
niam prius a morte deprehendor, q̄ implere potue-  
rim expectationem, ob quam patria me in hoc fasti-  
gium euexerat, totis uiribus laborandum, ut quem  
petierat ex me fructum ex uobis consequatur, pr̄e-  
ptamq; sibi operam atq; industriam meam uirtute  
uestra compenset. Non enim succeditis mihi, priua-  
tis tantummodo debitiss meis satisfacturi, sed mul-  
tomagis publicis. Et cum sine respectu uel faculta-  
tum uel uitę, unumquenq; patriæ suę usui atq; ho-  
nor i esse oporteat, uos maxime oportet, qui non so-  
lum uestro, sed meo etiam nomine debetis. Facile au-  
tem munus in hoc uestrum implebitis, si persua-  
seritis uobis, non in augendis ditandisq; priuatim  
uestris domibus felicitatem consistere, sed in liber-  
tate atq; amplitudine publica, simulq; parati eritis,  
quando cuncti illius usus postulauerit, corpora ue-  
stra magno & elato animo impēdere, longissimam  
samam pro minime longa uita consecuturi. In quā  
sententiam cum ratio ipsa uos ducere, tum uerba &  
authoritas mea debet. Sed & domesticis exem-  
plis

DE VENETIS C O N . T V R.

plis inuitamini , qnando , ut alios multos qui ante  
illlos in gente nostra floruerem omittam , non igno-  
ratis duo decora & lumina , nō familiæ tantum , sed  
Ciuitatis etiam nostræ , Iacobum et Hieronymum ,  
alterum ad Patras , alterum in Bononiensi agro pau-  
lo ante in legatione extictos , cum diuersissima in  
parte orbis uterq; difficulti Reipub. tempestate stren-  
ue rem gereret . Ego quod ad me attinet mallem ex-  
uita uestra fructum atque ornamentum Ciuitati ac  
cedere . Verum si testificandum fuerit etiam morte ,  
quantum patriæ tribuat̄is , & quanti similes maiori-  
bus nostris sitis , nequaquā digni uideremini quo-  
rum parēti tota se Respub. aliquando commisisset ,  
si recusaretis periculum uel depositare uel adire . Cæ-  
terum uelut in publicis actionibus fortitudinē ma-  
xime ac iusticiam amplexandas censeo , ita modesti-  
am domi & concordiam præcipuo quodam studio  
& constantia excolendas . Quicunq; enim in rebus  
suis modum adhibet , tranquille agens intra dome-  
sticos parietes , præter id quod cōmode uiuit & im-  
perturbate , etiam ex consuetudine transit in eam na-  
turam , ut in Repub. turbulentum aut intemperatū  
quicquā neque cogitare neque ferre uelit . Qua qui-  
dem animi affectio nihil est quod in cōseruandis ,  
augendis Ciuitatibus , efficacius dici queat . Spera-  
bam sane uersari ex diuturna institutione mea , has  
in animis uestrī cogitationes , sed cum id quod re-  
cte sit , nunquam satis fiat , noluī in hoc quoq; arti-

Iacobus Bar  
badicus.

Hieronymus  
Barbadicus.

Consultatio,  
an admitten-  
dus Turcus  
ad pompam  
Ducalis fune-  
ris.

Scholæ.

culo aut Reipub. aut mihi aut uobis nō adesse. Sub inde priusquā sepeliretur incidit deliberatio de ad-  
mittendo Oratore Turci, spectatū pompā funeran-  
di, cum ille impensius id peteret, & multi essent qui  
nō censerēt tantam uarietatem rituum, uestimento-  
rum, ordinum in Religione prophanis oculis subij-  
ciendam. Putabāt enim, quandoquidē simul Cleri-  
longe inter suos dissimilima Vniuersitate, conuen-  
turæ etiā essent Fraternitates pœnitentiū ciuiū, que  
Scholæ a Venetis nuncupantur, animum Barbari-  
moueri posse, ut suspicaretur non unum esse sen-  
sum omnium, & cogitationē erga Deum immor-  
talem apud illos, quos habitu, colore, tonsura, or-  
natu, nuditate simul & operimento, aut capitis, aut  
pedum, uexillorum deniqz & cæterorum diuersi-  
tate, qua obeūdis cæremonijs uterent, mire inter se  
differre animaduerteret. Ut enim notiora quæqz  
omittam, quibus uarie ab inuicem distinguuntur  
profidentes Sacerdotium, nec sub eodē nomine Re-  
ligioni mancipati, quantū ambiguitatis apud impe-  
ritū Christianarū rerum apparebat habituras ipsas  
laicorum fraternitates, candenti & in pectus pendu-  
lo uerticis simul & faciei uelamento, ac cætero totis  
us corporis informi atque inusitato amiculo, præ-  
terea incessu, cantu, uexillis, candelabris, ac luna-  
libus discoloribus, oculos etiam atque aures, qui  
bus sunt familiares prouocantibus Tametsi eius-  
modi omnia ex arcanis fidei nostræ educta decenti-  
ratione

D E V E N E T I S C O N . T V R .

ratione instituta sint acflant. Ut enim qui tunc maxime præsidebat in ea fraternitate quæ putatur punitive, quia se in eiusdem numinis, cuius & Civitas tutela esse profitetur Iohannes Bellinus, non tam pictor emendatissimus testimonio Comitis Veneti, in quo pingendo artem uicit, natura pene equauit, quam peritus Christianæ Philosophie, quodam tempore cum a Polonis Oratoribus interrogaretur, narrasse constat. Fraternitates eiusmodi originem trahunt a prisorum fidelium instituto, quibus omnia inter se communia fuere. Vocantur vero Scholæ propterea, quod uiuendi recte praeposta illuc traduntur pariter & accipiuntur. Cæterum quia multitudo Christianorum in immensum aucta, & ciuilibus muneribus necessario implicita non admittit in uniuersum priscam illam rerum omnium communionem, imago quædam ipsius ac similitudo seruatur. Nam si quis inter eos egere coeperit cum impensa aliorum nutritur, & tenuiorum filiæ prornatalium dignitate dotantur, prosperaque alia & aduersa mutuo inter se patiuntur, nec genus aliquid officij quod frater fratri in uita debeat, pretermittitur. Ad extreum ritu & ceremonia instituta a primis collegiorum eiusmodi authoribus mortuos suos efficerunt, & tradidit sepulture. Procedentib. autem simul in publicū aut officij aut solennis alicuius gratia commune quidem omnibus uelare effuse caput preseferenda habilitate. Id est apud oes candor in amiculis uniuersitatem.

Iohannes Bellinus.

sum corpus operientibus. Qui color diuinis rebus  
 obeundis, ut minime omnium sordidus et coinqui-  
 natus uel in primis cōgruere putatur. In uex illis ue-  
 ro diuersitatem seruasse oportuit, & differētiam an-  
 te se signa præmittere non eorundem numinum ti-  
 tulis congregatos. Nam in colore cærorum alij ali-  
 ud propositum habent. Qui enim candore in illis  
 utuntur, puritatem fidei suæ uelut oculis subiisci cu-  
 piunt. Qui rubedinē malunt, charitatis imitantur  
 ardorem. At quibus inest spei uiriditas eam coloris  
 similitudine profitentur. Quibus uero cura sancti-  
 moniæ indicande animi sui sensum cæreo pallore te-  
 stantur. Nam funesti qui super auertēda peste col-  
 legium suum instituere, ad tam lugubrem depreca-  
 tionem atrati, ut maxime decet, progrediuntur. Igi-  
 tur in adeo multipliciter uario sensu & apparatu elat-  
 turorum principem animi deliberationē eo utique  
 acclinabant, ut nihil tutius Religionis maiestate cō-  
 seruanda arbitrarentur, quam subducere omnia ei-  
 us aspectui, qui propter nostrarum rerum ignorati-  
 onem perperam uidebañ interpretaturus. Sed Mar-  
 cus Sannutus, Francisci filius, paternæ magnificen-  
 tiæ in consulendo tam heres quam imitator, docu-  
 it nō adeo Turcum hebetem ac socordē credi opor-  
 tere, tum suæ quoq; sectæ rituum uel oblitum uel  
 imprudētem, ut putaturus foret ad Religionem ac  
 pietatem pertinere potius quo quis habitu ornatus  
 incederet, quam quo animi affectu erga Deum im-  
 mortalem

Mareus Sannutus.

DE VENETIS CON. T V R.

mortalem esset. Nec uerēdum rem, quę tota ab oculis submota intra mentis arcana se se contineret, opinionem accepturam ex his, quae non modo animi non essent, uerum etiam extra corpus nullo præter quam opinionis discrimine uersarentur. Sed & nihil in illis omnibus non tale esse, ut admirationem potius quam contemptum eliceret, nisi forte crederetur homini tenui ac Barbaro, quem propter insolentiam etiam mediocris pompa in admirationem maximam concitare posset, ea demum aspernanda acridicula apparitura, quae in amplitudine ac copia omnium magnarum rerum, tamq; opulenta & sapiens Ciuitas, ut magnifica & spectanda constituisset ac frequentaret. Pertinere ad Christianam simul & Ciuitatis maiestatē Barbaros uidere, coli Religiones illic non solum pie, sed etiam opulenter. Varietas uero culta & uestimentorum facile intellectu quo spectaret. Nam si talis diuersitas afferre crederetur decorem illis qui militarent humano cuiuscumq; Principi, non esse caussam, quareratio eadem non probaretur inter militandum immortali Deo, cui cultiora omnia & præstantiora quam homini sine dubio deberentur. Ad extremum irrideret Barbarus si uideretur, dum modo apud animum eius ex multipliciū rerum splendore accopia, plus attentionis & formidinis quam contemptus ex habituū diuersitate crearetur. Probata est Sannuti sentētia, cui qui primus accesserat Sebastianus Bodarius su-

Sebastianus  
Bodarius.

Z

pra quam dici queat in omni deliberatione circum-  
spectus & sapiens, adiecit, ut cum Barbaro simul  
collocarentur, humanarum diuinarumq; rerum  
periti, qui oportune declararēt, si qua illius animū  
uel modica ambiguitate suspendissent. Designatiq;  
sunt ad eam rem Marcus Dandulus, Andreæ filius  
Ciivilis ac Pontificij Iuris Scientia insignis. Petrus  
Contarenus Adorni, Venetæ Historiæ scriptor ac  
curatus & prudens, Antonius Leonardicus, Sacer-  
dos cæremoniarum ritutumque sacrorum gnarus.  
ac retinens, maioris tamen nominis ex singulari pe-  
ritia Geographiæ, quam ultra veteres nouosq; au-  
thores excoluit ac illustravit. Cæterum in consue-  
tudine ac ritu humandi Principis, multa ex uetusfa  
obseruatione fiunt, quorum magis intellectus in-  
terpretandus, quam series exponenda. Nam, quis  
ordo faciendi, omnes pene sciunt, ratio uero a plæ-  
risq; ignoratur. Atque in his quidem quæ alien a a  
communi consuetudine efferendi mortuos non si-  
ne probabili caussa constituta, dignaque quorum  
sensus exquiratur hæc uidentur potissime. Defun-  
cti corpus in angustiori habitu feretro impositum,  
adiecio iuxta gladio & calcaribus, non qua solent,  
sed contraria ex parte pedibus insertis, atque in digi-  
tos priorsum prominentibus, collocatur in parte  
Pallati, ad quam toto triduo aditus eque omni-  
bus pateat. Deinde conuenit omnis apparatus &  
pompa funerandi, & feretrum quidem subit nau-  
tarum

M. Dandulus  
Pe. Contare-  
nus.

Ant. Leonar-  
dinus.

Ritus ex cœ-  
rimonia hu-  
mandi Princ-  
epis.

DE VENETIS CON. T V R.

tarum turba promiscua. Preferturque conto equestris hastae longitudinem æquante scutum, colore coelesti, in quo Leonis aurea imago eminet. Ex Patriciorum uero ordine octo rubeis uestibus inter atratos insignes funus comitantur simul & circumdant. Vbi processum est in aream quæ adiacet templo diui Marci, nautæ quam maxime possunt sublati brachijs, feretrum in altum leuant, moxque ad terram usque demittunt. Subsequentesque deinde Cleri, cæterorumque de more ante euntium multitudinem funus inferunt in ædem, reliquis obeundis cæremonijs destinatam, illictus multuário opere locus extructus magnopere emirans, in quo ponitur feretrum. Tum procul abscedentibus nautis octo illi Patricij coccinati adesse perseverant & circunsedent, donec laudes mortui, oratione quæ de more habetur, explicitur. Quorum omnium ut nihil omnino temere in adeo prudenti Ciuitate, ita nec unus nec facilis intellectus. Nam quod triduum uisendum funus exponitur, potest siccaceipi, quasi significetur exinde maluisse Ciuitatem eum uiuere, quem adeo sero, & uelut intuta mortuum efferat: seu queritur ex consuetudine satietateq; uidendi exanimem afflictantis se populi desiderium lenire: seu docetur uulgas placide ferre suorum obitus, uidens pari conditione & Principes uiros interire: seu denique captatur spacium deceni pompa funeris adornanda. A nautis uero portari

constitatum, uel quia ex illo ordine ab inicio præcipua Ciuitatis incrementa manauere, et nunc autho ritas maxime substituetur, uel ut Reipub. gubernatorem efferrî intelligatur. Nam depresso & elatio feretri, quæ inter procedendum cum funere adhibetur, aut designat instabilitatem rerum humanarum, & fortunæ modo deprimentis modo eleuantis inconstantiam: aut e cœlo delabi animas, & illuc mox redire testatur. Scutum uero anteferrî, et contumus quasi militaris habitus supplementum ad gladium & calcaria, ut inter nautica terrestris quoque militiæ decoraluceant, uel quia Princeps Ciuitatis est clypeus, uel ut constet abunde premunitum accedere ad ea certamina, que post mortem incumbunt, uel datur uulgaris persuasiōni credentium tale fuisse Hectoris scutum, quia Veneti uolunta Troianis oriundos se uideri. In calcaribus autem præpostere alligatis, uel necessitas ualet, quando pedibus supini & rigentis aliter applicari nequeunt, uel iudicatur retro eundum ad primordia, ex quibus uita precesserat. Patriciorum octo funus circumſistentium color igneam naturam significans, aut Ciuitati similem uigorem portendit, aut quia creditur ad elementum uiræ & activitate sua cætera attritum conuersurumque in se tandem omnia, multorum Veneto nominis sub inde adiūciorum augurium continet. In numero autem perfectio Ciuitatis ostēditur, quando perfectum corpus octonario numero continetur: uel argumentum

Veneti & Tro  
janis.

DE VENETIS C O N . T V R.

guimentum habet Imperij nunquam periculoſe caſuri. Nam cubus, qui ſignificat & abſolutiuit oſto angulis, quoquo modo iactetur nunquam ſic recidit, ut non ſimili ſtabilitate conſiſtat. Laudationem Ducis extincti, Patricie iuuētutis primarius eo tem pore adoleſcēs, ſed mox Equeſtris ordinis decus exi-  
mum Lucae Pifani filius Paulus compoſuit recita-  
uitq; nō minori affenſu quam uoluptate auditorę.  
Dixit enim uere ſimul & ornate, cōſtititq; inter om-  
nes nec materiā Oratori, nec Oratorem materiā de-  
fuſiſſe. Qui conſensuſ cū late per urbē manafſet, cau-  
ſam p̄ebuit, ut uiri eruditii pariter & eloquētes, Lu-  
douicus Mocenigus, Pandulfus Pifauricus, Benedi-  
ctus Brognolus, Georgius Valla, Ioānes Calphur-  
nius, Nicolaus Leonicus, L. Creticus, Antonius  
Albertinus, Aemilianus Cimbriacus, et pleriq; alij  
ea ētate omnīs generiſ doctrine lumina & ornamē-  
ta conuenirent ad Callimachum, apud quem ex oc-  
caſione habitus sermo de Eloquentia que prope ad  
ſummum fastigium iam perueniſſet, decq; ſeſtitate  
temporum, quandoquidem ubiq; in Italia tanta co-  
pia doctrine p̄eclariffima ingenia florerent. Que-  
ſituq; eſt contingere ne id natura, quæ poſt certas  
annorum reuolutiones ſimilia producere ſoleret,  
ac ueluti reuocare præterita, an maiori industria &  
diligentia literis nunc quam proximis temporibus  
incumberetur. Nam propagationem librorum,  
quā ſcriptorię artis paulo ante repetitus uſus mira-

Paulus Pifau-  
nus.

Ludo. Moce-  
nigus.  
Pādul. Pifau-  
renſis.

Bened. Brog-  
nolus.

Geor. Valla.  
Ioā. Calphur-  
nius.

Nico. Leoni-  
cus.

L. Creticus.  
Anto. Alber-  
tinus.

Aemilianus  
Cimbriacus.  
Callimachus

P. C A L L I . H I S T O .

multiplicandi sc̄cūditate literarum formulis induxit, maiori ingeniorum ac doctrinæ iactura quam fructu contigisse plane fatebantur. Eam disputationem Callimachus scripsit postea atq; ædidit. Tunc uero cum uideret responsum ex Constantiopolis diutius expectandum, quam oportunum sentiebat rebus ac de liberationibus Regis sui, egit cum Senatu, ut negocium susciperet renunciandi, quicquid subinde afferret, Abiit in Poloniam.

Nec multo plus, cum nihil a Venetis significaret, missus a Rege ad Turcum, pacem cū illo firmauit in biennio.

F

I

S.

ii


Haganoæ, in officina Seceriana  
Anno M. D. XXXIII.  
Mense Februario.



656  
studiorum missione monachorum  
M.DXXX. Cl. Monna  
obligando



9797  
3



2227

973  
3

